NAZIONALE
8
R. BIBLIOTECA
46 B
H
5
CENTRALE V. E. II
ROMA

8.46.B.5

Ex libris Antonii
~~[illegible]~~ Lugduni 1570.

VIII a 74

Vita hæc vitæ ~~[illegible]~~
æternæ est προχάραγμα
et σκιάγραφια. ait Grego.
Nazian. orat. ad cives
Nazianzenos.

8.46.B.5

FRANCISCI

BELCARII

PEGVILIONIS EPISCOPI

Metenſis, aduerſus impium Caluini, ac Caluinianorum dogma de infantium in matrum vteris ſanctificatione & pleraque alia Caluini etiam dogmata breuis commentarius: qui concionis ab eodem Epiſcopo apud Metenſes habitæ. 4. non. febr. ann. 1565. eſt veluti quædam Paraphraſis.

Cui acceſſit viri cuiuſdam eruditi aduerſus Metenſium miniſtrorum nomine ſcriptam, & anno. 1566. Geneuæ editam Apologiam, Antapologia, continens apertam Caluinianæ ſanctificationis euerſionem.

PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobæa, ad inſignè diui Martini.

1567.

Cum Priuilegio Regis.

44

EXTRAICT DV priuilege.

PAR grace & Priuilege du Roy, eſt permis à Claude Fremy, marchant libraire en l'vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente & diſtribuer vne fois ou pluſieurs vn liure intitulé, Franciſci Belcarij Peguilionis epiſcopi Metenſis, aduerſus impium Caluini, ac Caluinianorũ dogma de infantium in matrum, &c. *Et faict ledict Seigneur defence à tous autres de quelque qualité qu'ils ſoiẽt, de nõ imprimer, ou faire imprimer, vẽdre ny diſtribuer en ſes pais, terres & ſeigneuries ledit liure, ſans le congé & conſentemẽt dudict Fremy, iuſques au temps & terme de ſix ans finis & accomplis: à conter du iour & date qu'ils ſeront acheuez d'imprimer, ſur les peines contenues es lettres patentes dudict Seigneur. Donnees à Paris le neufieme iour de Feurier, l'an mil cinq cens ſoixante ſept. Ainſi ſigné, Par le Roy. Burgenſis. Et ſeellees du grand ſeau.*

[library stamp]

Carolo Lotharingo REMORVM ARCHIEpiſcopó, &c. Cardinali ampliſs. Franciſcus Belcarius Peguillio, Epiſcopus Metenſis. S. P. D.

ROGARVNT *me amici, Cardinalis ampliſsime, vt eam concionem, quam de infantiũ in matrum vteris ſanctificatione nuper habueram, mandarem literis: & quoniam ſumma tantum capita attigiſſem (neque enim aliter per tempus licebat) vt argumentum ipſum retexens, de integro ſingula capita, rationéſque fuſiùs explicarem. Incubui in id equidem hoc eſt in communem cauſam non inuitus, quod, Caluiniani totam Galliam, præſertim verò Metenſem hanc* διοίκησιν, *crebris concionibus ac libris etiam editis, iſta ſua ſanctificatione infecerint. Hæc dum molior, & ſingula cum ſingulis compono, Ecce nec opinãti breuis concio in iuſtum pene volumen excreuit: quæ ſi* Reipub. *Chriſtianæ erit vtilis, Deo primùm opt. max, ingẽtem habebo gratiam: tum mihi nonnihil gratulabor, ſi ad commune extinguendum incendium, ali-*

quam aquæ portionem, velut in ipſo temporis articulo attulero. (Iam enim nimiū graſſatur infeſta lues, ac latiùs in dies ſe porrigit.) Metenſibus certe noſtris non inutilem fore ſpero: qui quoniam hoc morbo grauius infeſtantur, præſenti antidoto magis opus habuerūt. Rudes has, & fortaſſe immaturas ſtudiorum meorum primitias (Cardinalis ampliſſime) tibi potiſſimum conſecrandas putaui: Tum vt tua authoritate munitæ, improborū calumnias facile contemnāt: Tum vt ei, cuius beneuolentiam, liberalitatémque eximiam, ſum expertus, grati animi ſpecimen aliquod exhibeam. Nec verò tua erga me beneficia, cæteráſque animi atque ingenij tui ſingulares dotes, hoc loco ſigillatim commemorandas arbitror, maiorem illæ eloquentiam & campum ad ſpatiandum ampliorem, quā epiſtolæ modus capiat, deſiderant. Quin etiam & breui libello haud longius attexendum procemium eſt. Ex noſtro Chriſtano fundo, Idibus Septembris. 1565.

PRÆTER INFANTIVM IN matrum vteris ſanctificationem, hæc quæ hodie controuertuntur capita, breuiter explicantur: quorum nonnulla in Antapologia magis illuſtrantur.

1 *An infidelium filij ad baptiſmum, antequam fidem profiteri poßint, admitti non debeant, vt docet Caluinus.* *fol.*11.*& ſeq.*

2 *Locus.*1. *corinth.*7.*explicatus, quomodo vir infidelis fidelis vxoris opera ſanctificetur, aut contra: quomodo item ex impari matrimonio naſcentes liberi ſanctificentur.* *fol,*19.*& ſeq.* *Et in Antapologia.* *fol.*19.*& ſeq.*

3 *Peccatum originis, aut voluntarium, & gratiam eidem homini eodem tempore ineſſe non poſſe.* *fol.*24. *& ſeq.* *fol.*28.*pag.*2.*& ſeq.* *&* 32. *&* 36. *&* 51. *Et in Antapologia.* *fol.* 38.*& ſeq.*

4 *Iustificationis nomine, peccatorum remißionem, & regenerationem, ſiue renouationem comprehendi.* *fol.*32.*pag.*2.*& ſeq.*

5 *An iustitia noſtra in ſola peccatorum remiſſione conſiſtat, vt docet Caluinus inſt.lib.*3.*c.*11.*ſect.*21.*& à quibus id ſumpſerit.eod.fo.*32. *& ſeq.& fol.*38.

6 *Peccata ex rei, non ex ſubiecti natura diſtingui. fol.41.pag.2.& ſeq.*
7 *Concupiſcentiam non accedente conſenſu non eſſe peccatum. fol.42.pag.2.& ſeq. Et in Antapologia fol.15.pa.2.& ſeq.& fol.42.et ſeq.*
8 *De iuſtitia imputata. fol.48.pag.2.& ſeq. & in Antapologia fol.45.& ſeq.*
9 *Quid ſit peccatum alicui non imputare, aut alicui aliquid ad iuſtitiam imputare? Ex quorum verborum falſa interpretatione dogma de imputata nobis Chriſti iuſtitia emanauit. fol.50. & in Antapol. fol.46.& ſeq. locus geneſ.15. explicatus.*
10 *An duæ duntaxat inde migrantibus viæ proponantur, dextra & ſiniſtra, hoc eſt, vita beata, & gehenna, vt vocatur in ſacris literis. fol.56.& ſeq. vti obiter de purgatorio agitur. Et in Antapol. fol.47.pag.2.& ſeq.*
11 De *Prædeſtinatione. fol.62.pag.2.& ſeq. Et in Antapol. fol.50.& ſeq.*
12 *Baptiſmo peccatorum remiſſionem conferri. fol.74.& 100. Et in Antap. fol.27.et ſeq.*
13 *De exorciſmis. fol.81.pag.2.& ſeq.*
14 *An mulieribus baptiſmum adminiſtrare. fol.84.& ſeq.*
15 *An iiſdem in publicis conuentibus pſallere liceat. fol.92.& ſeq.*

16 *Quid ſit naſci ex aqua & ſpiritu apud Ioannem. fol.55.& 99.*

17 *Multa quæ ad Euchariſtiæ ſacramentũ pertinent, inſeruntur. fol.108.& ſeq.*

18 *An ſoli miniſtri legitimè vocati, verum baptiſmum adminiſtrare poſſint, vt tradunt Caluiniani, Antapol.fol.57.*

19 *An in nobis hîc viuentibus Chriſti gratia magis, quàm Adami peccatum exuberet. Antapolog. fol.17.*

20 *Quid ſit ſacramentorum anima, ſi illis animam tribuere debemus. Antapol.fol.61.*

21 *Iure dubitari poſſe, an Caluinianus baptiſmus ſit verus baptiſmus. Antapol. fol.62.& ſeq.*

Franciſci Belcarij

PEGVILIONIS, EPISCOPI *Metenſis, Libellus, aduerſus impium Caluini, ac Caluinianorum dogma, de Infantium in matrum Vteris ſanctificatione: in quo pleráque alia Caluini etiam dogmata expenduntur.*

QVONIAM hodierno die purificationẽ Beatæ virginis Domini noſtri Ieſu Chriſti matris celebramus, Viri Metenſes, operæpretium quidem erat puerperarũ, primogenitorúmque leges, quibus vel illæ luſtrari, vel hi in Dei conſpectum ſiſti iubebãtur, fuſiùs explicare. Impuræ enim multis de cauſis puerperæ cenſebantur: Præſertim verò vel quod à publicis cõgreſſibus, atque à maritorum etiam cõſuetudine ſtatis à puerperio diebus arcebantur, vel vt ea luſtratione nobis indicaretur fœtus ipſos in lucem ædi impuros. Omnes enim quotquot ab Adamo originẽ ducimus, impuri (vt teſtatur Paulus) profectò naſcimur. Verumenim-

Leuit. 12. *Exod.* 13. & 14.

Epheſ. 2. *Rom.* 5. *Auguſt. li.* 6 *contra Iulian c.* 12.

uero quum magnam hac de re controuerſiam excitatam animaduerto, ex quo in hanc principem (inter eas quæ in confinio Galliæ, Germaniæque ſitæ ſunt) ciuitatem, Caluiniani intromiſſi fuerunt, rémque eò deductam, vt Baptiſmus hæreditariæ neſcio cuius ſanctificationis prætextu, à pleríſque aut negligatur, aut dubio admodum euentu differatur, aut parentum ſpes ſępius intercepta fallatur, liberíque interim baptiſmo nondum initiati plerunque moriantur, quæ nobis alioqui tractanda erant, aliis concionatoribus relinquimus, ipſi nouum, impiúmque Caluini, ac Caluinianorum perſequemur de Infantium puerorum, ſiue τῶν ἐμβρύων puritate ſimul, atque impuritate paradoxon: Quod dum nouis rationibus cõfirmare, atque explicare nituntur, ita ſeſe rurſus implicant, vt impietatem iuxtà, atque inſcitiam ſuam palam profiteantur. Rationum enim abſurditas, inconſtantiáque, multò quàm ipſum dogma à recta ratione, atque à ſacrarum literarum veritate ſunt magis alienę. Vt autem diſputationem hanc ab ipſo velut capite exordiar, ſcio homines inter ſcho-

τὸ ἔμβρυον dicitur humanus fætus, quãdiu vtero geritur, ſiue nõdum viuat, ſiue iam vita ſit præditus. Theodoretus l. 2. de curat. græc. affect.

laſticos (vt vocant) celebres (Gerſonem dico atque Caietanum) alios item plæróſque homines non leuiter eruditos in ea fuiſſe ſententia, vt ſi, vel parentum Chriſtianorum preces, vel eorundem benedictió, (vt loquuntur,) vel Dei opt. max. inuocatio, infantuli in matris vtero intermortui, aut in lucem æditi, necdum baptiſmo initiati mortem anteuerteret, bonam de eius ſalute ſpem cõciperent, neque diuinam beneficentiam ita ſacramento addictam exiſtimarent, vt ſine illius vſu, miniſterióque nihil vnquam poſſit. Horum dubiam, ancipitémque ſententiam (neque enim id tãquam axioma aliquod tradiderunt, ſed veroſimile eſſe dixerunt) & quadam humanę ſortis commiſeratione, indulgentiáque in mitiorem partem procliuem hæreticorum audax (vt ſolet) multum peruertit, peruerſámque longè ſuperauit inſania. Itaque ex Martini Lutheri officina prodeuntes, Zuinglius, Bullingerus, Caluinus, aliíque eiuſdem factionis, eiuſdémque frontis hæreſiarchæ, hæreſiarcharúmque ſectatores nouarum rerum ſtudioſi: vt non omnino ex ipſo præceptore pendere, ſed

Gerſon in orat. de nat. B Ma. vir in Cõcil. Cõſtãt. habita. Caietanus cõmen. in 3 partẽ Thome. quæ. 68. artic. 2.

aliquid de ſuo addere viderentur, & nomen nobile poſteritati conſecrarent, errorem ex errore nectentes Chriſtianorum Infantulos (ſi ita mihi τὰ ἔμϐρυα nominare permittam , quandoquidem aliter latinè explicare non poſſum)vel in ipſis matrum vteris hęreditaria parentum ſanctitate donari pronuntiarunt : Id ſcilicet perſuadere molientes, vt quemadmodum ex peccante Adamo hæreditaria labes in totam humanitatem(vt ita loquar) hoc eſt, humanam naturam permeauit, ita ex fideli Abrahamo in totam fidelium ſocietatem hæreditaria ſanctitas,ſiue puritas, permeare exiſtimaretur : Niſi forte hic interuenire diſſimilitudo aliqua cenſenda eſt: quòd Adamus ex ſe in poſteros omneis virus ſuum continua ſucceſſione effuderit:Abrahamus autem alia via,atque ratione,hoc eſt non eadem ſucceſſione, neque tã ex ſe, quàm vi fœderis hanc ſanctitatem ſuorum liberis hęreditariam reliquerit : ſuorum (inquam) qui eadem fide præditi,in fœdere numerantur, idcircóque in cauſa ſunt, vt liberis quoque fœderis promiſſio communicetur. Hinc promiſſionem fœderis ve-

ram ſauctificationis eſſe cauſam ex Caluinianorum placitis cernere eſt: Parentum autem fidem huiuſmodi eſſe cauſam ſine qua liberi in matrum vteris ſanctificari non poſſint. Hæ vbi coeunt, infantes etiam ex ipſa conceptione neceſſario ſanctificari iidem arbitrantur. Quid verò aliud iſtud eſt, quàm peccatum originis reipſa inficiari, nomen relinquere? Quum enim peccatum originis ſemper mortem, hæreditaria ſanctificatio ſemper vitam ſecum afferat, qui hanc ante Baptiſmum in infantulis conſtituunt, nimirum illud euertunt, vt ſolo nomine ad declinandam inuidiam relicto, Pelagianis peccatum originis inficiantibus, prorſus aſſentiantur. Quod ſanè confutatis Caluini, Caluinianorúmque rationibus, qui noui huius dogmatis propugnationem quaſi propriam ſibi vendicarunt, fuſiùs mox explicabo. quas illi primũ quadripertitas nobis obiiciunt, mox noſtrorum argumentis reſpondere conantur. Nos omiſſa baptiſmi tractatione (cuius natura, atque vſus multorum ſcriptis ſatis illuſtratus eſt) eundem ordinem ſequuti, rationes rationibus, argumenta argumen

Caluiniani in ſuo cẽtone ex variis Caluini locis cõſuto, ac gallicè ſcripto, et Metis excuſo anno 1563. infantiũ ſãctificationẽ 4. maximè rationib⁹ cõfirmãt, mox catholicorũ argumẽta refellere nituntur: nos eodẽ ordine obſeruato, illos cõfut. ndos ſuſcepimus.

tis collata pſequemur, vt cuiuis magis ſit in promptu, de vtraque aſſertione, vtra vera ſit, pronuntiare. Quanquam eas iſti tenebras offuderunt, imò verò ita ſuis tenebris obruti ſunt, vt iiſdem cæteros inuoluere, atque omnem iudicandi rationem nobis auferre conentur. Contraria enim ſimul in re eadem, quin & priuantia, & quæ ſe mutuò interimunt, eodem tempore recipiunt, veluti quum infantulos puros ſimul, atque impuros, iiſdemque gratiam pariter, atque peccatũm ineſſe profitentur. Quæ ſi ita haberent, eadem opera idem pronuntiatum verum ſimul, & falſum confiteri poſſemus. Quòd ſi primis, vel ſacrarum literarum, vel dialecticę rudimentis ritè initiati fuiſſent, haudquaquam iſtam impudentiam nobis deridendam propinaſſent. Sed de his poſtea. Iam enim congrediendum nobis eſt, & rationes quibus iſtud ſuum dogma fulcire nituntur, ad certam ſacrarũ literarum amuſſim paulò accuratius ſunt metiendæ. Antequam autem ad diſputationem ipſam aggrediamur, à verborum de quibus controuerſia eſt, definitione ordiri par eſt. Quam diſ-

ſerendi viam atque rationem, quum Caluiniani prætermiſerint, nihil mirum ſi verbi nonnunquam ambiguitate falluntur. Quemadmodum igitur ex illorum ſcriptis colligere eſt, ſanctos, ac ſanctificatos fidelium infantulos appellăt, quod ex fœdere cum Abrahamo inito diuinæ bonitatis, & ſalutis per chriſtum, atque etiam gratiæ Spirituſſancti, ita ſint participes, vt ſi in eo ſtatu moriantur, æternæ vitæ omnino ſint compotes, ſiue illi in matrum vteris adhuc concluſi, ſiue iam nati, necdum tincti moriantur. Sic enim ſcribit Beza. *Nam ab vtero coram Deo ſancti ſunt fidelium pueri ex fœderis formula, ſed ea ſanctificatio Baptiſmo obſignatur.* Sanctificationem vocant hanc puritatem, quæ ex eodem fœdere à fidelibus parentibus ad liberos tranſmittitur, quæque pręſtat vt liberi quoque in fœdere ipſo numerentur, & diuina hęc ſupra commemorata beneficia conſequantur: hoc eſt ſanctificationem, ſiue ſanctitatem eam intelligunt, quæ hominem Deo acceptum reddit, & renouat per ſpiritum ſanctum, quæ nimirum Baptiſmo obſignatur. Hoc conſtituto rationes ipſas explicemus.

Beza dialo. 2. de re Sacram.

Geneſ 17. Calu. inſt. li. 4. c 16. ſect. 6. 9. & ſeq. Idē in appē dic de vera eccleſ. refor. ratione et in Antidot. aduerſ. art. fac. theo. Pariſienſ. art. 1. Caluiniani in ſuo centone gallicè ſcripto.

ABRAHAMO (inquit Caluinus) pollicitus eſt Deus ſe Deum illius, atque poſteritatis eius fore: quòd ſi origo ſancta eſt, & quod inde prodit, ſanctum eſt: ſiue (vt Pauli verbis vtar) *ſi radix ſancta eſt, ſancti erunt & rami.* Inde infantulos in matrum vteris ſuccedente ex parentum fide, puritate imbui infert. Nos verò non vnam Abrahami poſteritatem conſiderare debemus: aut enim Iudæos intelligemus ex illius ſtirpe prognatos, aut cæteros ex adoptione in illius familiam fide inſitos, veluti quos proſelytos Iudæi vocabant, vel poſtea Chriſtianos, quotquot ex aliis nationibus Chriſto nomen dederunt. Si illos intelligemus, ſancti eſſent, & hodie Iudæorum in matrum vteris liberi. A qua ſententia non videtur aliquando abhorrere Caluinus, dum Iudęos ſcribit *primos, ac natiuos Euangelij eſſe hæredes, niſi quatenus ſua ingratitudine, ceu indigni abdicati fuerunt. Sic tamen vt non penitus ab eorum gente cæleſtis benedictio demigrarit.* Et paulò poſt de iiſdem loquens. *Neque verò quantacunque contumacia cum Euangelio bellum gerere perſiſtant, ideo tamen nobis ſunt deſpiciendi, ſi reputamus in promiſſionis gratiam, Dei benedictio-*

Caluin. inſt. li. 4 cap. 16. ſect. 14.

nem inter eos etiamnum reſidere, vt certè nunquàm inde prorſus abſceſſuram Apoſtolus teſtatur, quoniam ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Et alio loco, de hac ſanctificatione differens, *Deum non in vno gradu ait conſiſtere, ſed vitæ promiſſionem in mille generationes diffundere, neque qualis vnicuique pater fuerit, reputare, verum omnes agnoſcere ſanctos, qui ex Abrahamo, ac reliquis patribus fuerunt progeniti.* Si etiamnum inter Iudæos in promiſſionis gratiam Dei reſidet benedictio, eam ſanè, vt ad liberos ſuos trãſmittant, cõſentaneum eſt. Si Deus vitæ promiſſionem in mille generationes diffundit, nec patres, aut auos, ſed ſtirpes ipſas, primamq; illam generis reſpicit ſeriem: Hoc eſt, Abrahamum, Iſaacum, Iacobũ, cæteroſque quibuſcũ fœdus ſuum Deus renouandum iudicauit, ſancti nimirum eſſent Iudæorum, qui hodie viuunt, vel in poſterum victuri ſunt, in matrum vteris liberi, ideoque ſi tum morientur, in beatorum numero collocandi. Quod quàm à rationè ſit alienum, pij omnes diiudicent. Quum enim in Eccleſia re vera non ſint, quis illis ſanctificationem, aut ſanctitatem aſcribere poteſt? Quòd ſi idẽ

Caluinus in appendice de vera eccleſ. reformation.

Geneſ. 12. & 28.

obiiciet Deum quoſdam ex Iudæis ſelegiſſe, idcircóque in iſtis beneficium fœderis locum habere, quod electio, & ſanctificatio nulla ratione diuelli, diſtrahique poſſint: Iſtud nos & prorſus inficiamur, & electionem ſanctificationémque ſæpenumero ſeparari, nec tempore æquales eſſe profitemur. Profitemur (inquam) permultos ſelectos eſſe, qui nondum ſint, multò verò minus ſanctificati ſint: aut quomodo ſanctificati eſſe poſſunt, ſi omnino non ſunt? Nam de electione longè alia ratio eſt, quod eligi poſſit qui nõdum eſt, at qui nondum eſt, ſanctificari nõn poteſt, quemadmodum ſuo loco docebitur. Quòd ſi ex æternitate ſanctificati eſſent infantes, vti & ex æternitate ſelecti ſunt, nullus omnino peccato originis relinqueretur locus. Quinetiam ex infidelibus quoſdam ſelegit Deus, in quibus fœderis beneficium ſomniare nemo poteſt. Itaque Iudæis qui ab Eccleſiæ vnione ſeparati ſunt, nihil prodeſt fœderis promiſſio, neque vllam illorum liberis infantibus ſanctificationem affert, etiamſi ex iis nonnullos Deus ex æternitate ſelegerit. Sin peccatum quidem originis admittit

Caluinus, ſed vi fœderis, aut potius electionis id expungi putat, eodem recidit. Nam quum ſuos ex æternitate & ſelegerit, & ſanctificauerit Deus, vt volunt Caluiniani, ex æternitate quoque peccatum originis expunctum fuiſſe neceſſe eſt, hoc eſt, nullum vnquam fuiſſe. At peccatum originis (vt eccleſiæ conſenſus confirmat) in vno quoque ex conceptione incipit, & infunditur, electio æterna eſt: Quum id igitur ex æternitate, hoc eſt antequã ſit, aboleat & expungat electio, nullum vnquã peccatum originis eſſe poſſe conſentaneũ eſt. Videant igitur Caluinus Caluinianíque, quî ſe à Pelagianorum inſania vindicare poſſint. Sic nimirum ſummus ille doctor ex induſtria obſcurus, & veris falſa inuoluens, non ſecus atque in diſputationibus ſuis Sophiſtæ, lectores hianteis, & quid ſequantur incertos relinquere conſueuit. Sin Iudæis omiſſis, cæteros intelligemus adoptionis iure, hoc eſt, vi fidei, in Abrahami familiam receptos, quod vero ſimilius eſt, de quibus ſuum axioma Caluiniani interpretantur, hoc opus, hic labor eſt, vt hæreditariam iſtã puritatẽ conuellamus. Aio igitur Dei

dona, animique virtutes haud quaquam eſſe hæreditarias: multo verò minus fidē ipſam, quam diſertè ex diuina beneficentia proficiſci, Deíque donum Paulus eſſe teſtatur. Addo etiam puritatem ex fide prodeuntem Dei quoque eſſe donum, & inter animi virtutes debere numerari: idcircóque ex parentibus ad liberos manare non poſſe. Nam quî potius hęc prodiens ex fide puritas, quàm reliquæ animi virtutes, iuſtitia (inquam) & caſtiſtitas, & temperantia, cęteræque virtutes, à parentibus ad liberos hæreditario iure tranſmitteretur? Aut quî potius quàm fides ipſa, quæ vel baptiſmo infunditur, vel teſte Paulo, nō ex parentibus natura influit in liberos, ſed ab audiēte diſcitur? Nónne Pelagianorum ſunt dogmata, ex iuſtis iuſtos gigni, & ex fidelibus ſanctificatos? Atqui qui iuſti ac ſancti ſunt, ſpiritu Dei iuſti, ſanctique ſunt, qui non traduce, ſed ſingulari in ſingulos Dei inſpiratione infunditur. Itaque non nouam Caluinus Caluinianíque, ſed veterē admodum, exoletámque cantilenā canunt: quò fit vt longè aliter hunc Moſis locum interpretari debeamus. Eſt enim quod-

Epheſ.2. Philip.1.

Augu.l.2. de pecc.mer. & remiſſ. cōtr. Pelag. c.9. & 25. & 26.

dam pacti genus: pactum autem conditionem mutuam inter eos qui inuicem ſtipulantur, continet. Pollicetur Deus ſe Deum Abrahami, atque poſterorum eius fore: ſed ex conditione pacti. Quî iſtud? vt poſterorum eius Deus ſit, perinde atque Abrahami fuit. Atqui credidit Abrahamus Deo, & idcirco iuſtus habitus eſt, quæ ratione maximè Deus ſe Deũ illius fore profitetur. Vere enim iuſtorum eſt Deus, cuius illi in primis beneficentiam experiuntur, & quos ille ſolos acceptos habet. Itaque quemadmodum Abrahami fuit Deus, ita & poſterorũ Abrahami Deus erit, hoc eſt, quemadmodum Abrahamum inter ſuos numerauit, ita & poſteros eius inter ſuos quoque numerabit. Sed vt id præſtet, implenda mutua pacti conditio eſt, nempe ſi illi ratione præditi Deum veluti Abrahamus priuata fide agnoſcent, vel rationis nondum compotes, publica, hoc eſt, eccleſię fide, quæ cõmunis fidelium mater eſt, pro fidelibus habebuntur, quod quidẽ baptiſmo aſſequuntur. Prodeſſe porrò fidẽ iſtam etiam ante baptiſmum fidelium liberis infantibus nonnulli exiſtimant, non quod ſta-

tim in ipſis peccatum originis abluat, ablutóſque ſine Baptiſmi adminiſtratione ſimul, ac ſemel ſanctificet: Sed fortaſſe quod erga ſuos clementiſſimus Deus illam acceptam habeat, & hoc nomine fidelium infantibus nonnihil vrgente neceſſitate indulgeat, & hactenus alienis, hoc eſt infidelium infantibus præferat: Sine fide enim nemo Deo acceptus eſſe

Rom. 9. poteſt: Et alioqui nõ omneis qui ex Iſraële prodeunt, veri ſunt Iſraëlitæ, neque omneis qui ex Abrahami ſtirpe proficiſcuntur, germani ſunt Abrahami liberi. Hanc illius fœderis fuiſſe conditionem diſertè explicat Paulus, vel interprete

Rom 4. Calu inſt l. 4. c. 16 ſect. 15. Caluino, Abrahamum inquiẽs, *fide iuſtificatum in preputio, mox ſignum accepiſſe circunciſionis, ſigillum iuſtitiæ, fidei, vt pater eſſet omnium fidelium, & præputij, & circunciſionis, non eorum qui ſola circunciſione gloriantur, ſed qui ſequuntur fidem, quam pater noſter Abrahamus in præputio habuit.* Videtis qui ſint Abrahami filij? nimirum qui fidem Abrahami ſequuntur. Et alio loco. *Abrahamus credidit Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Scitis igitur quod qui ex fide ſunt, ij ſunt Abrahami filij.* In fœdere itaque cum Abraha-

mo, atque eius poſteris inito, infantuli, aut alij quiuis nõ recẽſentur,niſi in Chriſti Eccleſia, quæ vera & vnica huius fœderis, atque ex Abrahamo manãtis fidei eſt hæres, prius recenſeantur: Hîc autem baptiſmo,ſi legitimam viam ſpectes,ſicut olim circunciſione, recenſentur: vt hæc promiſſio, quam impropriè ſuccedẽtem ex fide ſanctitatem Caluiniani appellant, hæreditaria, niſi ex fœderis conditionė eſſe non poſſit. At verò ſi fœderis conditionem ſpectes, haudquaquam manante ex parentibus ad liberos puritate, etiam vi fœderis, ſed certa paternæ religionis imitatione, hæreditaria eſt, iis qui paternarum virtutum æmuli, paternam virtutum omnium parentem, fidem imitãtur: vel qui nondum rationis compotes,com munis matris,eccleſiæ inquã, huius promiſſionis legitimæ hæredis beneficio, in ipſum fœdus recepti, eodem iure cenſen tur: hoc eſt(vt Pauli verbis vtar) *non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij promiſſionis recenſentur in ſemen.* Itaque dubitat Origenes an Chriſtianorum infantibus ante baptiſmum, an verò poſt baptiſmum duntaxat angeli cuſtodes aſſignentur. Qui ſi ex ma

Rom. 9.

Origenes tract. 5. in Matthæũ.

trum vteris ſancti eſſent, quis illis tum quoque cuſtodes angelos adeſſe inficiari poſſet? Quid? quod Circunciſio aliter in Abrahamo ſigillum fuit iuſtitiæ fidei, id eſt, quę ex fide manabat, aliter in Abrahami poſteris? Siquidem in illo ſigillum fuit iuſtitiæ, quæ circunciſionem præceſſerat, in iſtis iuſtitiæ quæ circunciſionem ſequebatur (vt docet Auguſtinus) & eundem ſanctificationis ordinem in his qui tinguntur, eſſe aſſerit. *Sicut in Abraham (inquit) præceßit fidei iuſtitia, & acceßit circunciſio ſignaculum iuſtitiæ fidei, ita in Cornelio præceßit ſanctificatio ſpiritualis in dono Spiritusſancti, & acceßit ſacramentum regenerationis in lauacro Baptiſmi: Et ſicut in Iſaac, qui octauo natiuitatis ſuæ die circunciſus eſt, præceßit ſignaculum iuſtitiæ fidei, & quoniam fidem patris imitatus eſt, ſequuta eſt in creſcente ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in infante præceſſerat, Ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis ſacramentum, & ſi chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in corde conuerſio, cuius myſterium præceßit in corpore. Et ſicut in illo latrone quod ex baptiſmi ſacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, vel contemptu, ſed neceßitate defuerat, ſic in infantibus*

Aug. li. 4. de Baptiſmo contra dona. c. 24.

ſantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda eſt, quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iuſtitiam poßunt, nec ore confiteri ad ſalutem. Ideò quum alij pro eis reſpondent, vt impleatur erga eos celebratio ſacramenti, valet vtique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. Si in Abrahamo præceſſit fidei iuſtitia, ſequuta eſt circunciſio: contra in eius poſteris, præceſſit circunciſio, ſequuta eſt iuſtitia, Iudæorum liberi in matrum vteris iuſti, aut ſancti nõ fuerunt. Si in Cornelio ſpiritalis ſanctificatio præceſſit, ſequutus eſt baptiſmus. Cõtra in infantibus præcedit baptiſmus, ſequitur ſanctificatio, infantes nimirum non in matrum vteris, ſed ne quidem ante baptiſmum ſanctificari poſſunt. Quæram præterea ab iſtis tã latè patentis ſanctitatis authoribus, num eorum qui ex Chriſtianiſmo, ad Anabaptiſmum, Ethnicíſmúmve defecerunt, ſancti liberi naſcentur? Si naſcentur ſancti, id quidem ex parentum fide non conſequentur. Si impuri, eorundem igitur parentum alij ſancti, nimirum ante defectionem à fide, alij impuri poſt defectionem liberi naſ-

centur. Et pro parentum cõditione, quoties in illis fidem labare contigerit, liberorum quoque toties conditio mutabitur. Quid? quod noſtros, hoc eſt, omneis qui in eccleſię vniuerſæ cõſenſu perſtiterunt, idololatras paſſim Caluiniani appellant, & extra eccleſiam eſſe prædicant, nec ſe, quum à nobis feceſſerunt, ab eccleſia feceſſiſſe iactant. Si idololatræ ſunt, è fide nimirum prorſus exciderunt: Si exciderunt, in eccleſiæ communione eſſe non poſſunt: ſi extra eccleſiam ſunt, eccleſiæque communionem quomodo ad liberos ſanctitatem tranſmittent parentes? quum extra eccleſiam nulla ſit ſanctitas, vt etiam de Eccleſia differens, probat in hæc verba Caluinus. *Quando non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa (Eccleſia ſcilicet) concipiat in vtero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis vberibus: denique ſub cuſtodia, & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus angelis.* Et paulò pòſt. *Adde quod extra eius gremium, nulla ſperanda eſt peccatorum remiſſio, nec vlla ſalus teſte Iſaia, & Ioele, quibus ſubſcribit Ezechiel, quum denuntiat in catalogo populi Dei non fore, quos è cœleſti vita abdicat.* Imò verò vbi in Eccleſia purus Dei

Cal. inſtit. lib. 4. ca. 1. ſect. 4.

cultus hominum traditionibus immutatur, vti in vniuerſa Romana Eccleſia immutatum Caluinus falſò criminatur, etſi à vera Eccleſia omnino non diſceditur, nihilominus ne hîc quidem ſanctitatem reſidere. Idem ex Ezechiele confirmat. *Quum gloria Dei (inquit) inter Cherubin in ſanctuario ſederet, eamque ſedem ſibi ſtatam fore pollicitus eſſet dominus, vbi cultum eius prauis ſuperſtitionibus corrumpunt ſacerdotes, aliò tranſmigrat, & locum ſine vlla ſanctitate relinquit.* *Caluin. inſt. lib. 4. ca. 2. ſect. 3.* An igitur noſtrorũ liberos ſanctos quoque naſci concedent Caluiniani? Quòd ſi concedent, noſtros idololatras negent, & noſtram eccleſiam, veram eccleſiam fateantur neceſſe eſt. Si non concedent, quid mirum, ſi ſanctificationem hanc paucis Caluinianorum eccleſiis cognitam, cæteris incognitam repudiamus? Sin longius ducendam originis ſeriem aient (vt reſpondit aliquando Caluinus) & nos paulò ante annotauimus, neque Deum in vno gradu conſiſtere, ſed virę promiſſionem in mille generationes diffundere, neque qualis vnicuique pater fuerit, reputare, verum omnes agnoſcere ſanctos qui ex Abrahamo, ac reliquis patri- *Caluinus in appendice de vera eccleſ. refor. ratiõe.*

bus fuerunt progeniti, videant quonam pacto Iudæorum, qui in Iudaiſmo perſtiterunt, & qui hodie etiam viuunt, liberos à fœderis communione, & manante inde ſanctificatione excludāt, quibus eam tamen ſanus nemo cōceſſerit. Quæ enim extra Eccleſiam ſanctitas eſſe poteſt? Quid? quod ſuorum ſanctificationem agnoſcere, aut ſaltem diiudicare non poſſunt? Impios enim, aut peccatores re vera à Chriſti eccleſia extraneos, nec eius eſſe membra Caluinus aſſerit. Si extranei ſunt ab eccleſia (vt ille loquitur) ſi eius membra non ſunt, quomodo ſanctitatem, quæ eccleſiæ propria eſt, & quam nullam habent, ad liberos transferent?

Calu. inſt. li. 4. c. 1. ſect. 9

Quomodo in Caluinianis eccleſiis qui liberi ſancti, aut non ſancti naſcantur, poterit internoſci, quum impios à piis ſecernere nemo poſſit? Atqui neminem ad baptiſmum recipiendum putant, niſi de eius ſanctitate compertum habeamus, aut ſperare meritò debeamus. Qua igitur conſcientia ad tingendos ſuorum liberos progredientur? Eorum præſertim qui publicè facinoroſi & ſunt, & multis argumentis eſſe ita cōuincuntur, vt nullus ſit

ignorãtiæ relictus locus: vel qui eccleſiȩ cõmunione priuati ſunt (licet id minimè conſtet)in reiectorum numero collocati? Nam quod aiunt ſolius Dei eſſe,vt qui in eccleſia, quíve extra eccleſiam ſint, norit, noſtrûm autem bonam de omnibus Chriſtianis ſpem concipere,nec de quoquam temere ferre ſententiam, idcircóque & omnium Chriſtianorum infantulis ſacramenta debere adminiſtrari: humanam quidem illi imbecillitatem probé agnoſcunt: cæterum ad id quod propoſitum eſt, parum aptè reſpondent: Si enim re vera extra eccleſiam ſunt parentes,nonne fœderis communione & ipſi, & eorum liberi ſunt excluſi? Si excluſi ſunt,quomodo ignorantia noſtra illis ſanctitatem vendicabit, quam à fœdere trahere nullomodo poſſunt? At tingendos nihilominus Caluiniani prædicant: non igitur quod in fœdere numerentur, tinguntur infantes (neque enim id conſtare nobis poteſt) vti nec quod non numerẽtur, à baptiſmo arcentur. Qua tamen ratione prophanorum, ſiue infidelium liberos (niſi rationis iam compotes fidẽ profiteri poſſint) à baptiſmo Caluinus arcet:

quod vt ab hoc fœdere ac ſanctitate ſunt alieni, ita & à ſigno quoque arceri iure debeant. Sic enim ſcribit. *Si fidelium liberi citra intelligentiæ adminiculum fœderis ſunt participes, non eſt cur ob id à ſigno arceantur, quod in fœderus ſtipulationem iurare nequeunt: qui vero infidelis eſt, impiis ortus parentibus, donec per fidem Chriſto vniatur, à fœderis communione extraneus cenſetur. Itaque nihil mirum ſi nec ſigno communicet, cuius ſignificatio in eo fallax inaniſque foret.* At longè aliter docet Auguſtinus: cuius locos, qui latæ ſententiæ vice eſſe poſſunt, ex multis paucos, ſed vt mihi videtur, inſigniores aſcribam. *Nonnunquam de religioſis orta proles (inquit) in tenera ætate, atque ab vtero recentiſſimo præuenitur morte, antequam lauacro regenerationis abluatur, & infans natus ex inimicis Chriſti, miſericordia Chriſtianorum baptizatur. Plangit baptizata mater non baptizatum proprium, & ab impudica expoſitum, baptizandum caſta fœtum colligit alienum.* Et alio loco. *Quid? quod etiam paruulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptiſmate ſubueniri? Vbi certè oſtenditur quod perſonarum apud Deum non ſit acceptio; alioqui cultorum*

Caluinus in appẽdice de vera eccleſ refor. ratiõe & inſt l. 4. c. 16. ſect. 24

Aug li. 1. contra 2. Pelag. epiſt. c. 6.

Auguſt de bono perſeu. c. 12.

ſuorum potius, quàm inimicorum filios liberaret. Item. *Et aliquando filiis infidelium præſtatur hæc gratia (baptiſmi ſcilicet) quum occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocumque perueniunt: Aliquando fidelium filij non eam aſſequuntur, aliquo impedimento exiſtente, ne poßit periclitantibus ſubueniri.* Idem tradit author libri de Vocatione gentium, qui inter Ambroſij opera numeratur. *Vt multis* (inquit) *ſæpe quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſeruierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos.* Huc referri poteſt canon concilij Toletani qui in hæc verba legitur. *Iudæorum filios, vel filias baptizatos ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputandos, aut monaſteriis, aut Chriſtianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, vt ſub eorum conuerſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus, quam in fide proficiãt.* Nam ſi quis hunc canonem de adultis duntaxat, & qui iam fidem profiteri poſſunt, interpretandum contendet, meminerit eũdem de infantibus quoque poſſe intelligi, qui patre mortuo vel non recuſante, prima ea ætate tingi, & mox piis

Auguſt. de gratia & li. arbit. c. 22.

Lib. 1. de vocatione gentium c. 8.

c. 59. concil. toletani. 4.

viris,aut mulieribus committi potuerũt, vt meritò excludi nõ debeant, quemadmodum nec diſertè excluduntur. At hodie Iudęorum non magis quàm infideliũ liberi in fœdere numerantur. Quinetiam Saxones ad Lippam fluuiũ profectos vnà cum vxoribus & infantibus, Theudum quoque,vel Thudinum Auarorũ regem, populoſque eius ditioni ſubditos in nomen triadis fuiſſe tinctos hiſtorici annotarunt:vbi nec infantes(quorum tingendorũ mos apud Chriſtianos iamdudum inualuerat,& conciliis aliquot confirmatus erat) excludere ſanus quiſquam poteſt. Quid de infantibus expoſitis, quorum ignorantur parentes, dicemus? vel de quibus an tincti fuerunt incertum eſt? Præſertim ſi regio à prophanis ſimul, & Chriſtianis habitatur? An hos quoque à baptiſmo Caluinus repellet? Eos ſanè Leo primus,& Gregorius tertius,ac pleraque concilia tingendos eſſe ſanxerunt. Præterea dum de pędobaptiſmo diſſerit Caluinus, & eos qui infantes ad baptiſmum admittendos negant, refellere conatur, familias totas nonnunquam ab apoſtolis tinctas fuiſſe ſcribit, ac mox ſubdit. *Et ſi*

Regino l. 2. Adon. viẽnenſis ætate 6.

Leo epi. 92 ad Narbon. epiſc. Grego. 3. ad Bonifacium. c. placuit & c. Si nulla de conſe. diſt. 4. Conci. 5. cartha. c. 6. cõc. 6. carthag. c. 75. cõc. vormat. c. 70. Calu. inſt. l. 4. c. 16. ſect. 8.

enim id nominatim ab Euangeliſtis non narratur, infantes, ſcilicet fuiſſe baptizatos, *quia tamen neque excluduntur illi, quoties familiæ alicuius baptizatæ ſit mentio, quis inde, niſi inſanus ratiocinetur, infantes non fuiſſe baptizatos.* Exempla verò profert non Iudaicarum familiarum, ſed exterarum, aut vt loquuntur, Ethnicarum, Lydiæ inquam purpurarum auctionatricis, & eius qui Philippis (quæ Macedonię vrbs eſt) carceris cuſtodiæ præerat, quos non fuiſſe Iudæos, idcircóque nec in Abrahami fœdere numeratos ſub Philippenſium nomine Lucas in hæc verba teſtatur. *Hi homines conturbant ciuitatem noſtram (inquiunt) quum ſint Iudæi, & annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, quum ſimus Romani.* Si infidelium familiæ ab apoſtolis tinctæ leguntur, illicque infantes comprehendi Caluini etiam teſtimonio palam eſt, nonne ſuis ipſe verbis cõuincitur, & infidelium infantes, ab apoſtolis tinctos fuiſſe manifeſtum eſt? Quo igitur ore infidelium infantes, antequam fidem profiteri poſſint, à baptiſmo arcendos pronuntiat? Niſi forte quod parẽtes mox tincti ſint, & in fœdus à Deo recepti, ſanctificatio-

nem retroagi, & in natos antequam parentes tingerentur liberos refundi, ac redundare quodammodo aſſeret: quod quàm veroſimile ſit aliorum iudicium eſto. Quis enim infantes iam natos pro mutata parentum fide mutari, & nunc impuros, nunc ſanctos eſſe cenſebit? Quid? Si ante parentes infantes ipſi tincti fuiſſent, nec tamen quominus liberi tingerentur parentes obſtitiſſent (vt de quodam ſcripſit Hieronymus.) *Sancta (inquit) & fidelis domus virum ſanctificat infidelem, iam candidatus eſt fidei, quem filiorum, & nepotum credens turba circundat*. An eorum baptiſmum Caluinus admittet? Si admittet nobis aſſentietur: ſin reiiciet, quomodo iſtos ab infantibus expoſitis, & fortuito in regione promiſcuè à Chriſtianis, prophaniſq; habitata repertis diſcernet? quorum ſupra mētionem fecimus? Quid de infidelium poſthumis, & infantibus qui in parentum poteſtate non ſunt iudicabit? quos ſemper ad baptiſmum eccleſiaſtica traditio admiſit? Quid præterea de hæreticorum infantibus dicet? An eos ad baptiſmum admittet, an vero repudiabit? Siquidem hæretici extra eccleſiam

Hieron. epi. ad Paulinū.

Thomas parte. 3. queſt. 68. arti. 10. & ibidem. Caietanus.

ſunt, in Abrahami fœdere numerari, ac Caluiniana ſanctitate præditi eſſe non poſſunt. Quæ enim, vt dixi, extra eccleſiam vel ſalus, vel ſanctitas inueniri, aut excogitari poteſt? Nullam inueniri poſſe etiam Caluinus (vt ſupra docuimus) confitetur. *Cal.inſt.lib. 4.c.1.ſe.4.* Si hæreticorum perinde, atque infidelium à fœdere alieni ſunt infantes, vtroſque aut reiiciat, aut ad baptiſmum admittat Caluinus neceſſe eſt. Atqui illos ſemper vniuerſa eccleſia ad baptiſmũ admiſit: nec ſolũ admiſit, ſed etiã in hæreticorũ eccleſiis tĩctos, ſola manuũ impoſitiõe cõciliatos recepit, neq; de huiuſmodi baptiſmo vnquã incerta, ancepſq; dubitauit. An hic fallacẽ, inanẽmq; baptiſmi ſignificationem aduerſus vniuerſæ eccleſiæ conſenſum Caluinus obtendet? Eat nunc, & ſanctificationem ſuam obiiciat, infantéſque, niſi de illorũ ſanctitate certum ſit, aut aſſeuerari verò ſimiliter poſſit, ad baptiſmum admittendos neget. Nec illud omittendum, omneis ſcripturæ locos, quos pædobaptiſmum aduerſus Anabaptiſtas aſſerens Caluinus profert, tam fideliũ quàm infidelium infantibus poſſe accõmodari: amplectitur Chriſtus

infantes, iubet ad ſe venire, repellentes
Matt.19. apoſtolos obiurgat: Et alio loco. *ſinite paruulos, & nolite prohibere venire ad me* (*inquit*) *talium enim eſt regnum cœlorum.* An infidelium infantes, ſi tum adfuiſſent, vt & adfuiſſe verò ſimile eſt, oblatos Chriſtus repudiaſſet, qui Chananæam pro abſente
Matt.15.c. filia, Centurionem pro ſeruo deprecan-
Luc.7.a tem non repudiauit? Tyrannicæ id quidem crudelitatis, non immenſæ illius benignitatis fuiſſet, qua è cœlo ſeſe ad hæc inferiora demittens, ad omneis homines conſeruandos hominem ipſe indutus acceſſerat. Nónne etiam tam infidelium,
Cypri.epiſt.8.lib.3. quàm fidelium infantibus illa Cypriani ratiocinatio conuenire poteſt, qua nemini baptiſmi gratiam denegandam aſſerit? *Porrò* (*inquit*) *ſi grauiſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, quum poſtea crediderunt, remiſſa peccatorum datur, & à baptiſmo, atque à gratia nemo prohibetur, quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima natiuitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, ſed aliena peccata.*

Sanè infidelium perinde atque fidelium infantibus nocent non propria, ſed aliena peccata, nec quicquam præterea: quæ ſi baptiſmo facile remitti poſſe nemo inficiabitur, quis hos, aut illos à Baptiſmi gratia arcēdos pronūciabit? Si ad typū reſpicimus, & an infideliū infantes olim circūciſi fuerint, quærimus· Abrahamus omnē familiā circuncidit verna pariter, & emptitius ſeruus eandem legem ſubierūt nec hic quidē (opinor) infantes excipiet Caluinus, non magis, quàm in familiis, quas ab apoſtolis baptiſmo ſcribit initiatas. Quid ſi emptitij ſerui poſthumus aut eiuſdem conditionis patre triduo ante mortuo ſemeſtris infans tum adfuerunt, an hos quoque circunciſos negabit? Siquidem ſine vlla exceptione omnē Abrahami familiam circunciſam ſacræ literæ prodiderunt. Hinc duo axiomata Caluinianis axiomatis contraria elicere poſſumus: alterum infidelium pueros infantes iure baptiſmo poſſe initiari. Alterum fidelium infantes, non ideo ad baptiſmum admitti, quod in Abrahami fœdere numerantur, ſanctitatémque inde ſint adcpti (vt tradit Caluinus) alioqui infide-

lium hæreticorúmque nunquam tingerentur infantes. Atqui hîc maximè vertitur, huic inquam fœderi totius Caluinianæ ſanctificationis, cardo innititur. In eãdem ſententiam quam nuper de Abrahami fœdere ediſſeruimus, & illud Pauli accipiendum eſt, *Si ſancta eſt radix, ſancti erunt & rami*: Sancti (inquam) ſi purum illum radicis humorem, in germanos, viuidóſque ramos defluentem, vel doctrina partum, vel infuſum retinent, fidem, ſcilicet Abrahami, cuius vi etiam alieni radici non ſuæ plærunque inſeruntur, & germanorum ramorum loco habentur, imò verò germani ſunt rami. Alioqui ſi genituram ipſam ſpectes, ſancta radix dici non poteſt: Abrahamus quippe quemadmodum & cæteri, quíque ab illo prodierunt, ex corrupto, vitiatóque ſemine generarunt. Porrò ex vitiata genitura, nõ niſi vitiatus fœtus exire potuit, vt ſcribit Auguſtinus, multum itaq;, accuratéque generatio ex fide, à carnis generatione diſtinguenda eſt. Hinc colligere nimirũ vnuſquiſq; facilè poteſt, quã diuerſa ſit, ab hac hæreditaria, quã Caluiniani ſomniant, ſanctitate, diuina illa ex fœdere

Rom.11.

Aug. lib.3. contra Iulianum. c.8.

Calu. inſt. li. 2. c.1 ſect.7.

cum Abrahamo icto, cõcepta promiſſio, quæ certam legem proponit, nempe vt fidem Abrahami imitetur quiſquis ſe inter Abrahami poſteros numeratũ volet. An verò promiſſio fœderis ad infantes ſolos, non etiam ad adultos pertinet? Sanè non ſolum Iſaacus adhuc infans, ſed & Iſmaël, & plærique Abrahami vernæ iam grandiores, atque ętate prouectiores circuncisi, & in fœdere numerati fuerũt: Atqui adulti in fœdere numerati non ſunt, niſi Abrahami fidem imitarentur, vti de Eſau, ac Iuda legimus. Quemadmodum itaque adultis nihil profuit parentum fides, niſi paternæ fidei imitatio priuatim accederet, ita neque infantibus vel profuit, vel prodeſſe poteſt, niſi ſacramentum fidei ſigillum, hoc eſt olim circuncisio, nunc baptiſmus accedat: vt illis ſanctitatem aſciſcat. Quanquam in ſanctificationis ratione non ſatis ſibi conſtat ipſe Caluinus: hìc enim diſertè fidelium liberos ex Abrahami fœdere trahere ſanctitatem aſſerit. At alio loco obſcuriùs loquitur, eandemque aliunde trãnſmitti, atque à maiore vi proficiſci putat. *Propter parentes (inquit) fideliũ liberos ſanctificat Deus,* Calu. inſt. li. 2. c 1. ſect. 7. in fine.

non quidem vi naturæ, ſed accedente gratia. Porrò quod eorum ſanctitati quodammodo communicant, ſpecialis eſt populi Dei benedictio, quæ non facit, quominus prima illa & vniuerſalis generis humanæ maledictio præcedat. Ex natura enim reatus, ſanctificatio autem ex ſupernaturali gratia. Et alio loco, *licet natura perditi ſint, qui naſcuntur ex fidelibus, ſupernaturali tamen gratia ſancti ſunt.* Addo gratiam, peccatúmque in iiſdem infantibus eodem tempore collocari, quod mox ſuo loco conuelletur. Vidiſtis nuper ſanctificationis cauſam præſcribi fœdus Abrahami, hîc ſupernaturalem (vt idem vocat) Dei gratiam proponi videtis. An verò ex fœdere illo ea gratia pendeat, an ſigillatim diuinitus infundatur, nulla fœderis habita ratione, non explicat, præterea nec cur ſit ſupernaturalis, aut cur ita ſentiat, cauſam reddit, nec ſententiam ſuam noui veteríſve inſtrumenti teſtimonio cõfirmat. Verum enimuero tanta apud ſuos authoritate pollet, vt iis ſatis ſit illud Pythagoricum αὐτὸς ἔφα, nobis non licet eſſe tam acutis, qui auditores nacti ſumus moroſiores, & aduerſarios experimur tam difficiles, vt non ſolum iis quæ veterum ſcriptorum

authoritate

authoritate munita proferimus, ſed ne traditionibus quidem vniuerſæ eccleſiæ conſenſu receptis,& ab apoſtolorum,aut eorum q̃ui apoſtolis proximè ſucceſſerunt,ſeculo,ad noſtra hæc tempora,continuo vſu confirmatis,aſſentiantur, quin potius ſibi fucum fieri exclament,&quaſi grauem contumeliam patiantur, ad ſcripturam (vt illi inculcare ſolent) ſubinde prouocent. Quòd ſi eadem nobis permitteremus,quantas Deum immortalem excitarent tragedias? At longè aliam rationem cur fidelium infantuli nondum tincti ſalutem aliquando conſequantur, aut ſtatim à baptiſmo morientes, aliquando ſalutem non conſequantur,reddit Petrus Martyr. Proponit enim æternam Dei electionem tam infantulis, quam adultis cauſam ſalutis: Idcircoque nec omneis Chriſtianorum infantulos antè, vel ſtatim poſt baptiſmum ſuſceptum mortuos ſalutis compotes eſſe exiſtimat,nec inuectam à Caluino ex Abrahami fœdere ſanctificationem admittit, quæ vt omnibus Chriſtianorum infantulis communis eſt, ita omnibus quoque prima illa ætate,vel illo potius vitæ initio morientibus ſalu-

Petrus Martyr in c.7.1. Corinth.

tem pollicetur. Sed promiſſionem illius fœderis ad eos fidelium liberos reſtringit Martyr, in quibus vna Dei æterna conſentit electio. Ita iſti vbi à recta via ſemel diſceſſerunt, in auia feruntur, nec vnquam coeuntes, ſed huc, illúcque diſtracti, in diuerſa præcipitia perituri ruunt.

1. Cor. 7. Calu. inſt. li. 4. c. 16. ſect. 15. & 31. et in appẽdice de ver. eccl. refor. ratiõe.

QVINETIAM Paulum ex nuper commemorato Moſis loco, ſanctos pronuntiaſſe aiunt Chriſtianorum liberos. *Vir (inquit) nondum Chriſtianus Chriſtianæ vxoris opera ſanctificatus eſt, ſanctificata eſt & vxor nondum Chriſtiana ſiue fidelis* (vt Paulus loquitur, & nos Latinæ linguæ loqui inopia cogit) *opera viri Chriſtiani, alioqui immundi veſtri eſſent liberi, atqui ſancti ſunt.* Sanctificandi enim verbo, & his quæ ab illo deducuntur vocibus, in tota hac diſputatione ſæpius vti cogimur, nouis fortaſſe & minus apud bonos authores vſitatis. Vt autem, hunc obicem è medio tollam, Aio primum nullam hîc infantulorum in matrum vteris adhuc concluſorum fieri mentionem, qui niſi in lucem æditi ſint, neque Latinis neque Græcis liberorum nomine

cenſentur. Deinde de longè alio ſanctitatis, aut ſanctificationis genere, multúmque diuerſo ab eo quod Caluiniani nobis obtrudunt, loquitur Paulus. Quod vt perſpicuè magis explicetur, illud memoria in primis tenendum eſt, Chriſtianos primis illis etiam Chriſtianiſmi naſcentis initiis, à prophanorum, hoc eſt, non Chriſtianorum matrimoniis abhorruiſſe, eorundemque ſe contubernio, ac conſuetudine inquinatum iri exiſtimaſſe, quæ mox vti nefaria, & à Chriſtianæ religionis ſynceritate aliena, Concilium Elibertinum interdixit: Et ante concilium Elibertinum damnarunt antiqua illa eccleſiæ lumina Tertullianus, *qui fideles gentilium matrimonia ſubeuntes, ſtupri reos eſſe, & ab omni communicatione fraternitatis arcendos pronuntiat*. Et poſt Tertullianum Cyprianus. Sed nec Iudæis olim cum prophanis, & quæ idolorum cultibus pollutæ erant mulieribus, matrimonia contrahere fas erat: ne muliebribus illecebris pellecti, (vt de Solomone legimus) prophanos & ipſi cultus imitarentur. Hinc Paulus viro mortuo liberum eſſe vxori, ait, vt alteri nubat μόνον ἐν κυρίῳ,

Conc. Elibe. c. 16. Tertul. l. 2. ad vxorem.

Cypr. ſermo. de lapſis.

Deut. 7. Exod. 23.

modo in domino nubat ſcilicet, hoc eſt, vt aduerſus Iouinianum Hieronymus, & ante Hieronymum Tertullianus ac Cyprianus, & poſt illos Theodoretus interpretatur, modo nubat viro Chriſtiano. Sed inter coniuges, qui iam matrimonio coniuncti erant, quorum alter Chriſto mox nomen dabat, longè alia ratio erat. Iaque & iis aliter conſulit Paulus, matrimonij ſcilicet nexum inuiolabilem, haud leui de cauſa debere diſſolui, nec quos Deus coniunxit, temere eſſe ſeparãdos. Futurum præterea proſpiciebat, ſi quotquot Chriſtianiſmum profitebantur (qui propè innumerabiles quotidie accedebant) cum prophanis coniugibus, & qui eandem religionem profiteri adhuc detrectabant, diuortium facerent, magnę id vt perturbationi anſam daret, ac ſecundum Euangelij curſum fortaſſe interturbaret. Itaque Chriſtianis coniugibus ſuadet; ne coniugalis huius conſuetudinis prætextu ſe inquinatum iri exiſtiment; néue cum ſuis coniugibus quamuis prophanis & à Chriſtianiſmo abhorrentibus diuortium faciant, modo vocationẽ perſequi fas ſit. *Sanctificatus eſt enim (inquit*

Aliter tamẽ Baſilius qui nubere ĩ domino nihil aliud eſſe ſcribit, quã nõ ad voluptatem carnis, ſed iudicio, & vitæ commodioris ratione nuptias eligere.

ille) vir prophanus, & nondum Chriſtianus opera vxoris Chriſtianæ, & contra. Quî iſtud (inquam) vxoris probis moribus, crebris adhortationibus, aſſidua oratione, & fuſis pro viri ſalute precibus, vir ad Chriſtianiſmum acceſſit, ac ſanctificatus eſt, hoc eſt, ex impuro purus, ex prophano ſanctus euaſit? Sic hunc locum interpretatur Theodoretus. Præcipit ſanis, aut ſanctis. i. fidelibus (nam in Græcis codicibus pro ἁγίοις ὑγιεινοῖς aut ὑγιέσι quidam legiſſe videntur, quanquam vtrum-vis commodè legi poteſt) vt ferant imbecillitatem coniugum & eorum ſalutem procurent. *Theodo. in c 7. 1. Corint*

Hanc autem puritatem, ſiue ſanctificationem ex icto cum Abrahamo fœdere, ne Caluiniani quidem pendere, aut viro, ſi nondum Chriſtianam religionem profeſſus, tinctúſque deceſſiſſet, ſalutem attuliſſe dixerint. Quod, vt quæ conſequuntur, perſpicuè intelligantur, in primis animaduertendum eſt. Sanctum enim, & ſanctificandi verbum, in hac Pauli periodo non ambiguè, ſed in eandem ſignificationem accipiendum nemo non nouit. Alioqui Paulus qui ad vulgus Corinthiorum imperitum po-

tius, quam ad viros doctrina excellentes (qui pauci admodum inter eos numerari fortaſſe potuerunt) ſcribebat: ſeſe ſtatim explicare, nec ænigmata veluti σκοτεινὸς aliquis Heracletus pro dilucida, perſpicuaque, quam ille profitetur, doctrina obtendere debuit. Addendum & illud eſt: quum Paulus virum infidelem fidelis vxoris opera ſanctificari ait, non ita accipiendum eſſe, quaſi ita ſemper euenerit: neque id contendit Paulus. Sed ita plærúmque fieri conſueuerat: Quòd ſi à Chriſtianiſmo, coniunx prophanus ſemper abhorrebat, tum neque ab vxore Chriſtiana ſanctificabatur: ne quis hîc hallucinetur, & ſemper prophanum maritum à Chriſtiana vxore ſanctificatum putet. Subiicit enim Paulus: *Quî ſcis mulier, an virum ſis ſeruatura? aut qui ſcis vir, an vxorem ſis ſeruaturus?* indicans ſcilicet infidelem fidelis coniugis opera non ſemper ſanctificari, neque ſeruari. Sanctificationis aliquot genera enumerat Auguſtinus, ſed ita obſcurè hunc locum tractat, vt in eiuſdem interpretatione multum illum deſudaſſe conſtet. Vt ad rem redeam. Quum

Aug. ſerm. 14. de verbis apoſt. & aduerſus Iulianũ li. 6. c. 5. & lib. 2. de pec. merit. et remiſſ. c. 26. & l. 3. c. 12.

vxor Chriſtiana à viro prophano ſecedebat, aut contra prophanum, qui vel domi, vt plurimum ſeſe continebat, nec ſolum vertebat, nec à propinquorum ſocietate diſcedebat, vel ſaltem cum ſuos ciues, tum magiſtratus, qui & ipſi prophani, atque Idololatræ erant, æquiores experiebatur, magna ex parte liberi ſequebantur, & impiis idolorum cultibus imbuti, atque innutriti, prophani & ipſi, atque impuri, aut (vt loquitur Paulus) immundi erant. Sed quum Chriſtiana coniunx à prophano coniuge non diuertebat, communes liberos, doctrina, exemplo, probis moribus inſtitutos Chriſtianiſmo imbuebat. Sic illi ex impiis, pij, ex impuris, puri, ex prophanis ſancti euadebant. Non autem ſancti erant, quod ex fidelibus nati, in fœdere Abrahami numerarentur, vti à Paulò ſanctos dici Caluiniani impudenter mentiuntur: neque enim id Paulus vel dicit, vel indicat, neque ex eo colligi vllo modo poteſt.
Quemadmodum igitur coniunx Chriſtiana prophanum coniugem ex impio pium, ſanctumque reddebat, aut ſancti-

ficabat, vt loquitur Paulus, ſic eadem quoque & communes liberos, ex impuris,puros, ſanctoſque reddebat: nihil itaque hæc ſanctitas (quam ſanctificationem Caluiniani appellare malunt) cum illo Abrahami fœdere commune habet. Hæreditaria ſiquidem nullo modo erat, neque vi fœderis tranſmittebatur,ſed doctrina, exemploque comparabatur: quibus vel Chriſtiana vxor virum prophanum, aut contra, vel alter parentum Chriſtianus, communes liberos erudiebat,ac Chriſtianę religionis puritate quodammodo conſecrabat, hoc eſt, à prophanarum religionum impuritate reuocatos Chriſtianiſmi puritate imbuebat. Et in cauſa erat vt illi baptiſmo ſuſcepto, tandem inter Chriſtianos numerarentur, Chriſtianámque religionem profiterentur. Atque vt tandem hunc locum abſoluam,& ex Paulo ipſo, Tertullianóque explicem,ſanctificari hîc nihil aliud ſignificat, quam ex idololatria ad Chriſtianiſmum conuerti:Et inde animi puritatem adipiſci,&ſancti eos Chriſtianorum liberos, qui vel ex idololatris, chriſtiani ſunt facti, vel qui ſunt veluti fidei candidati,

nec vllis idolorum cultibus polluuntur,
neque deſtinantur: quod non ſolum de
infantibus, ſed etiam de liberis ratione
præditis interpretari debemus. Sic & ſan-
ctos fidelium liberos, etiam ante ſuſceptũ *Tertull. de*
baptiſmum poſt Tertullianũ vocat Hie- *Monogamia.*
ronymus: Idem & ſanctificare in hanc ſi- *Hieronym.*
gnificationem accipit, & patrem-fami- *ad Paulinũ*
lias vocat fidei candidatum, qui cum
tota eius familia Chriſtiana eſſet, quam-
uis eandem religionem nondum profi-
teretur, tamen proximum videbatur, vt
mox profiteretur, *Sancta (inquit) & fidelis*
domus virum ſanctificat infidelem. Iam candi-
datus eſt fidei, quem filiorum & nepotum credẽs
turba circundat. Sic etiam Latini ſcriptores *Quintilianus in Præf.*
filium paternę gloriæ, aut atticæ eloquen *lib. 6. inſtit.*
tiæ, & immortalitatis appellant candida- *orat.*
tum: non quod tum fidelium liberi eam *Plinius in*
ſanctitatem iam aſſequuti ſint, ſed mox *Panegyr.*
ſint aſſequuturi, perinde atque candida-
ti magiſtratum quem ambiunt, mox in-
eunt. Hinc alio loco fidelium liberos ſan *Tertull. lib.*
ctitatis deſignatos Tertullianus appel- *de anima.*
lat, quod vt prophanorum liberi infulis
apud idola cõfectis redimiti dæmonibus
vouebãtur, acq uodãmodo addiceban-

& paterę ſanctę vocabantur, quas templi *2.Tim.2.*
miniſterio cõſecratas, ac velut addictas
ad humana miniſteria cõuertere atq; oc
cupare fas non erat. Sic & apud Paulum
vaſa ſancta, atque impura vocantur, & ſi-
bi inuicem opponuntur, illa honeſto, hęc
ſordido vſui dicata, vt iure Chriſtianorũ
ſanctos, Prophanorum impuros liberos
dicere poſſimus, quod illi Deo, qui ipſiſ-
ſima eſt ſanctitas, hi falſis diis totius im-
puritatis authoribus ſint deuoti. Porrò di
ctio hæc Græcæ illi quam ἅγιον vocant,
reſpõdet. ἅγιον autem ex priuante α & di-
ctione γάιᾳ ductũ exiſtimat Plato. vt ſan
cta ſiue ἅγια dicamus, quæ ab omni terre-
na impuritate aliena ſoli Deo conſecra-
ta ſunt. Immundi igitur eos deſignant
qui in prophano deorum cultu perſtite- *Rom.1. & vlt.*
runt. Porrò ſanctos, pro fidelibus ſæpenu *Epheſ.2.*
mero Paulus vſurpat. Et Tertullianus mu *2.Cor.vlt.* *Philip.vlt.*
lieres ſanctas pro fidelibus accipit, ac ſan *Tertull.li.2*
ctum gentili opponit, vt vulgò fidelem *ad vxorem.*
infideli opponere ſolent. Sin virum infi-
delem fidelis vxoris opera ita ſanctificari
interpretabimur, quod fidelis ſanctitati
infidelis impuritas nõ obſit (quẽadmodũ
omnia munda ſunt mundis, coinquinatis autem

& infidelibus, nihil eſt mundum, vt hæc ſan-
ctitas infideli propriè non inſit. Sed rela-
tus ad fidelem pro ſancto habeatur, licet
ſanctus re vera nõ ſit. Et ſanctos quoque
ex hoc impari matrimonio procreari li-
beros dicere poſſumus, quod ſanctitatis,
id eſt, fidei in Chriſtum, aut Chriſtianæ
religionis ineundæ ſint veluti candidati:
Nam fidelis parens eos Chriſtiana pieta-
te imbuit, à qua infidelis nõ multum ab-
horrere videtur, qui à fidelis matrimonio
non abhorret, idcircóque & vt liberorũ
piam educationem illi permittat, vero-
ſimile eſt. Tum verò & fidelium infantes
etiam ante baptiſmum in Eccleſia nume-
rari non negamus, ac proinde ſanctos
poſſe dici .i. fideles, licet ſancti .i. puri,
re vera non ſint, ſed peccato originis in-
quinati: licet etiam ſancti, hoc eſt, fide-
les propriè non ſint, nondum fidei ſacra-
mento ſuſcepto. Quod ſi quis veterum
ſcriptorum phraſes diligenter obſeruet,
non vagabitur incertus, aut ad Abraha-
mi fœdus, tanquam ille qui gemino bel-
Horat. de arte poetica lum Troianum exorſus eſt ab ouo, recur-
ret, vt Paulum hic interpretetur, ſed ob-
uia, ac ſimplici, germana denique inter-

pretatione, peregrinis, atque à Pauli ſenſu alienis reiectis, ſecurus fruetur. A qua ſanè non videntur alieni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magdeburgicæ authores, quanquam mea quidem ſententia, ſeſe non ſatis explicant, aut certè hunc Pauli locum non ſatis explicant. Aiunt enim Paulum appellare ſanctos fideliũ liberos, nõ quidem ob natiuitatem, ſed quia Chriſtiani parentes eos ſuis precibus Deo commẽdent, & ad baptiſmum & lauacrum regenerationis & ſanctificationis citius offerant, quàm Ethnici parentes. *Cent. 1. lib. 2. cap. 6.*

Rom. 5.

Tertia ratio excerpta ex Caluino inſtit lib. 4. c. 16. ſect. 6.

TERTIO, Paulum etiam nobis opponunt, qui Adamum Chriſti typum eſſe ſcripſit. Quî verò iſtud? nempe quod ſuis vterque quod ſuum eſt, & naturæ ſuę peculiare impartitur, & velut ramis truncus infundit, Adamus ſordes, peccatum iniuſtiam, Chriſtus puritatem, gratiam, iuſtitiã. Quemadmodũ igitur in ipſo conceptu fœtum inficit Adamus, ita & eundem ſanctificat, purúmque reddit Chriſtus. Chriſti quippè gratia Adami peccatò vberior, ac ſuperior eſt longéque præſtat. *Vbi enim exuberauit peccatum (inquit Paulus) ibi magis exuberauit & gratia.* Si hæc ra-

tiocinatio firma eſſet, veréque conſiſteret, quid inde conſequeretur, expendamus. Neceſſario nimirum fœtum antequam conciperetur, & antequam omnino eſſet, Chriſti ſanctificaret gratia. Alioqui Adami peccatum ſi tempus ſpectes, Chriſti gratia non anteuerteret, ſed vnà cum illo prorſus eſſet æqualis, vt quæ in ipſo conceptu perinde atque Adami peccatum, nec ante vim ſuam primum excereret. Præſtat itaque Chriſti gratia Adami peccato, vberiórque eſt: non ideo quod id anteuertit, ac quodammodo præcurrit (vt temporis ratio habeatur) ſed quod vi viuida, ſiue viuificatrice potentius agit, magíſque prodeſt, quam Adami peccatum obeſt. vel quod nō ſolum peccatum illud ab Adamo propagatum, ſed & quæ inſuper homines ſponte addiderunt, peccata ſoluit atque condonat, vt ſcribit Auguſtinus. Hoc conſtituto inuolutam hanc rationem euoluere, atque explicare haud difficilè eſt. Quemadmodum inficit Adamus, ita & ſuos eluit Chriſtus: ſed vterque ſuo more, hoc eſt, pro ſingulari naturæ ſuæ ratione: ille labem infundit, hic purgat, ſordéſque eluit.

Aug. li. 1. de pec. mer. & remiſſ. c. 11.

Adamus corpore conſtans & animo, naturæ ſuæ inſitam labem ex parentibus, in liberos traduce ac ſucceſſione quadam, emittit,atque his velut intermediis illud ſuum virus effundit. Chriſtus autem corpore quoque ſimul, atque animo , ſed & diuinitate præditus, cuius maximè vim admirabilem baptiſmo in nos exerit, nō traduce agit(quæ corporum propria,peculiaríſque eſt actio) ſed vim viuificatricem ſpiritali innouatione infundit, nullóque(niſi forte ſacramētum adhibetur) intermedio agit. Et quod diuinæ illius mentis proprium eſt,animis noſtris illabitur,ac quicquid ſordidum eſt,mirandū in modum purgat.Quamuis enim ſacramentum nonnunquam adhibeatur, ipſe tamen Chriſtus illo velut organo vtens, ídq; nullo alio intermedio agit: quod & in baptiſmo, & aliis quæ baptiſmi vicem implent, exemplis experimur. Ad hæc ſi hæc ratio locum habet, Si Chriſti gratia magis quàm Adami peccatum exuberat, vt volunt Caluiniani, & nos ingenuè fatemur: Sanè vt reipſa inficit Adamus, ita & reipſa purgat Chriſtus, baptiſmóque initiatos eluit. Quo igitur ore concupi-

ſcentiam poſt baptiſmum peccatum eſſe
aient? aut hominem ſemper inquinatum
peccato aſſerẽt? Si Adami iniuſtitiam re-
ipſa propagari, atq; in nos transfundi cõ-
cedunt, quî iuſtitiam Chriſti nobis impu
tatam (vt vocant) ſtatuent? Addam & il-
lud? Si carne ſua inquinat, mortémq; ge-
nerando immittit Adamus, nónne carne
ſua vitam afferet Chriſtus? nónne carne
ſua reipſa in Cœna carnem noſtram viui-
ficabit? vt theologi loquuntur: Carne ſua
(inquam) hic oblata, non carne è cœlo vi
fidei petita, vt temerè Caluiniani cõmi-
niſcuntur. Qui igitur Chriſto ſanctitatis
traducem perinde, atque Adamo pecca-
ti, aut homini à prima ſui confirmatione
eiuſdem ſanctitatis ex fœdere, & paren-
tum fide tranſmiſſionem quandam affin-
gunt, multum vana ſimilitudine fallun-
tur: multò verò magis eos quoque falli
manifeſtum eſt, qui vel Chriſti totius ſan
ctitatis authoris ἐνέργειαν tempore metiun-
tur, vel eodem Chriſtũ, Adamúmque mo
do agere autumant, vel naturalis genera-
tionis rationem, cum ſpiritalis renaſcen-
tiæ, ſiue regenerationis ratione confun-
dere nituntur. Siquidem ij ex Deo homi-
nem

nem ſimul, & ex homine Deum facere moliuntur. Sit ergo conſtitutum, Chriſti gratiam peccato Adami præſtare vi viuificãte, & actionis efficacia, non quod tẽpore peccatum anteuertat. *Fiunt enim(vt inquit Hieronymus) non naſcuntur chriſtiani,* quomodo igitur ſancti erunt, antequam Chriſtiani? Sanctitaſ omnis à ſpiritu ſancto eſt, qui nõ niſi Chriſtianis datur. Si in matrum vteris ſancti ſunt Chriſtianorum filij, non fiunt.i.non renaſcuntur, ſed naſcuntur Chriſtiani, hoc eſt, Dei filij. Ad hæc quomodo baptiſmus regenerationis ac renouationis lauacrum diceretur? Naturalem natiuitatem ſequitur regeneratio, vetuſtatem renouatio, hoc eſt, in nouum hominem commutatio, quæ vera eſt Chriſtianorum μεταμόρφωσις. Hinc natura ſumus filij iræ.i.peccatores naſcimur(inquit Paulus.) Et veterem hominẽ, aut vetuſtatem idem appellat animæ tabem Adami peccato cõtractam: nouum hominem, aut nouitatem, tabis illius elutionem, & in integrum reſtitutionem, ſiue inſtaurationem: quomodo igitur regeneramur, ſi prius nati non ſumus? Nati (inquam) filij iræ, vt teſtatur Paulus. Quo-

Hieron. ad Lætam.

modo renouamur .i. nouum hominem induimus, ſi vetus non anteceſſit, ac diſceſcit? Si anteceſſit, quomodo in matrũ vteris ſancti erunt Chriſtianorum liberi? Et quidem ex ipſo conceptu, vt impudẽter Caluiniani cõminiſcuntur. Nam peccato originis, inquinatos ſimul, & ſpirituſſancti gratia prædites eſſe non poſſe, perſpicuis mox rationibus docebimus. At poſſe, imò ſemper eſſe neceſſaria rationum ſuarum cõſequentia coacti Caluiniani fatentur: quo quid abſurdius excogitari poteſt? Quid autem ſibi iidem velint, quum infantulos in ipſo conceptu, ſiue conceptione ſanctificari aiunt, omnino non intelligo. Nam tum infantulis nondum infuſa anima eſt: Etiámne verò carnea, & informis illa moles ſanctificata dicetur? Accedente potius anima (ſi probabilia, non autem paradoxa dogmata inuehere volunt) accedere & ſanctificationem dicant, nec eam ad conceptum, quum ἔμϐρυον nondum animalis, nedum hominis nomine cenſetur, vſque reuocent.

POSTREMO quaſi Colophonem addunt ex eodem Paulo, apud quẽ Deus

ſe Iacobum patriarcham, antequam bo- *Rom 9.*
ni, malive quippiam patraſſet, imò verò
antequam in lucem æditus eſſet, dilexiſ- *Quarta ratio excerpta*
ſe profitetur. Quonam (inquiũt) pacto Ia- *ex Muſculo in locis*
cobum dilexiſſe potuit Deus ex conce- *cõmunibus.*
ptu, ortúque, peccatis infectum, impu- *c. de baptiſ.*
rúmque, niſi eundem Chriſti gratia purificatum, ac ſanctificatum conſideraſſet? Huius argumentationis explicatio, nec difficilis, nec longè petenda eſt. Quando quidem æternam Dei electionem deſignat Paulus. Quòd ſi eam prædeſtinationis rationem, quam ſequitur Caluinus, reciperemus, faciliùs fortaſſe nodus iſte diſſolui poſſet. Et quoniam Caluiniani in magiſtri ſui verba iurarunt, nec minus à Caluino, quàm à Paulo diſſentire ſibi nefas eſſe ducunt: Agite experiamur, ſiquid hic poſſumus: quam in his refellendis rationem, mox etiam ſequuturi ſumus, vt ex præſcriptis Caluini verbis, argumentíſque aduerſus eos potiſſimum agamus. Et ſi id maximè illi ægreferunt, ſed quàm nihil in magiſtri ſui ſchola profecerint, agnoſcentes, meliorem fortaſſe poſtea mentem induent. Iacobum dilexit Deus antequam boni, malive quip-

piam patraſſet : imò antequam in lucem eſſet æditus. Cur ita? Prædeſtinauit ſiquidem Iacobum velut rarum ſuæ bonitatis exemplum. Si inde Iacobum in matris vtero ſanctificatum colligemus, quid conſequatur expendere operæpretium eſt. Id verò ita habet. Quemadmodum ante mundi ortum, initiúmque Iacobũ, atque adeò pios omneis prædeſtinauit Deus: ita eoſdem tantò ante dilexit. Diuinæ enim illi menti omniũ perfectiſſimæ, & quæ cęteris, vt ſint, perfectæque in ſuo genere ſint, præſtat. Omnia ſunt prę́ſentia, neq; vllum temporis eſt diſcrimen: *illi (inquit* 2. Petr. 3. *Petrus) mille anni vti dies vnus, & dies vnus* Hieron. ad Damaſum. *vti mille anni*. Si quod Iacobum, pióſque omneis tãtò ante dilexerit Deus, & quod eoſdem, tum quoque ſanctificauerit, aut interpretabimur, aut inferemus: Iacobum nimirum, pióſque omneis, non in matrum vteris, ſed ante mundi ortum, initiúmq; ſanctificatos interpretàbimur: Cyril. lib. 6 de Trinitate. quod ſanctificationis genus (ſic enim à nonnullis etiam antiquis ſcriptoribus vocatur) ab eo diuerſiſſimum eſt, quod Caluiniani tractant, & hæreditarium vi fœderis eſſe pronuntiant: ne hic nos verbi

ambiguitate circunſcribant. Ad hæc huiuſmodi ſanctificatio ad eos duntaxat (quos Theologi electos vocant) pertineret, quos iidem reprobos nominant, excluderet. Hi enim nullum eius vſum, ne in matrum quidem vteris experientur, illos ſelectos, hos reiectos, non incommodè fortaſſe dicere poſſemus. Hinc quam ineptè æternam Dei electionem cum ſua ſanctificatione commutarint Caluiniani, aut ſaltem alteram alteri inconcinnè attexentes, coniunxerint, ſatis ſupérque (ni fallor) perſpicuum eſſe cuiuis poteſt.

NEC magis obeſt quod ad Epheſios ſcribit Paulus, quum ait, Eramus natura filij iræ, id eſt, ſub ingenti Dei indignatione conſtituti. Sed immenſa Dei benignitas, ac charitas, qua nos ſingulariter complexus eſt, nos velut peccatis immortuos, fide in Chriſtum excitatos, ad vitam reuocauit: quem locum ita enarrat Caluinus, vt totam noſtram ſalutem Dei bonitatati aſcribendam eſſe exiſtimemus. *Non quod priores Deum dilexerimus* (*vt inquit Ioannes*) *ſed quia ipſe prior dilexit nos*. Idque Epheſios docet

Epheſ.2.

Cal. in com mẽt. in epiſt. ad Epheſ.

1. Ioan. 4.

Paulus. Sed alio loco paulo aliter, quamuis ad eundem ſcopum collineet, interpretatur: nempe vt vel Abrahamum, Abrahamíque familiam, id eſt, Iudæos intelligamus, ex Chaldeis natione Idololatriæ dedita, in Chananæam regni cœleſtis (vt loquitur ſcriptura) id eſt, futuræ fœlicitatis typum aſcitos, quorum & ſi patrem ſe Deus declararat, tamen ſpe duntaxat patrem experiebantur, donec vmbris reiectis, vnico Chriſti ſacrificio reconciliati, patrem reipſa ſunt experti, & vitæ cœleſtis per Chriſtum compotes facti: vel vt Paulum, reliquóſque ex Iudaiſmo, cæteris reiectis Iudæis, ad Chriſtianiſmum vocatos interpretemur. Sic autem ſe ex vtero matris à Deo ſelectum, & eiuſdem gratuita bonitate vocatum ſcribit Paulus, vt Chriſtum annunciaret, atque Euangelium longè latéque promulgaret. In hanc ſententiam eundem locum interpretatur Hieronymus. *Ante prædeſtinauit Deus (inquit) quod erat his temporibus completurus*. Vtrobíque igitur ſicut ſupra in Iacobo, diuinæ electionis, aut vocationis, vt ſcribit Theophylactus, cuius vim Chriſto velut ſequeſtro ſenſi-

Cal. cócione 10. in epiſt. ad Epheſ. quæ Gallicè ſcripta eſt.

Galat. 1.

Hierony. in c. 1 epiſt. ad Epheſ.

mus, habemus exemplum, nec peccatum gratiámque ſimul homini ineſſe inferre inde poſſumus. Illud item diuinæ clementiæ perfamiliare eſt, vt eos qui imprudentes errant, quemadmodum etiam de ſe teſtatur aliquando Paulus, gratia ſua illuſtret,& veræ vitæ,id eſt, ſuæ fœlicitatis faciat compotes. *Quinetiam ſuos omneis prior ad ſe vocat Deus, prior ipſe eligit, ac diligit (inquit Ioannes) nec fieri poterat, vt denuò naſceremur, vt ſcribit Baſilius, niſi* *Baſilius de Baptiſmo.* *regenerandos præueniſſet Dei gratia. Commendat enim (inquit Paulus) dilectionem ſuam erga nos Deus, quod quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò itaque magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſeruabimur per ipſum ab ira. Si enim quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſeruabimur in vita ipſius.* Quæ dilectio ſiue charitas diuinæ gratiæ προηγουμένης (præuenientem vulgò appellant) atteſtatio eſt, nobis Chriſto ſequeſtro, atque interprete collatæ. His veluti quatuor columnis fulcitur commentitia Caluinianorum ſanctificatio, quæ ſi proſtratæ omnino non ſunt, at certè multum incli-

natę,diſiectęque mihi videntur,vt totum ædificium ſubitam iam,certámque minetur ruinam. Verumenimuerò vt quam primum prorſus ruat, conficere noſtrum erit.Id autē fiet, ſi quæ illi noſtrorum argumentis reſpondent, deinceps explicabimus, atque ipſa explicatione conuellemus.

Prima Catholicorum obiectio aduerſus infantium ſanctificationem.

SI in matrum vteris infantuli ſancti ſunt (inquiunt noſtri) baptiſmo opus non eſt, aut ſaltem neceſſario infantibus iam in lucem æditis is adhibendus non eſt. Si enim ſancti ſunt, toti ſancti ſunt: partim autem ſanctos, partim impuros, peccatóque inquinatos nemo dixerit. Nam quēadmodū totum corpus poſſidet ſanitas, nec qui vertigine, aut podagra, aut alicuius denique membri vitio laborat, ſanus verè dici poteſt. Sic& ſanctitas totū hominē poſſidet, poſſidet(inquā)alia ratiōe, magíſq; q̃ ſanitas. Sanitas enim corpori ineſt, quod in multa mēbra diuiditur, quorū alia ſana, alia ęgra eſſe poſſunt. At ſanctitas ineſt animo, qui in parteis tribui, diuidíque non poteſt: aut igitur vnuſquiſque ſanctus, aut impurus ſit neceſſe eſt: nec qui peccati labe infectus eſt, ſanctus dici

vllo modo poteſt. Peccatum propriè ſemper accipio, vt gratiæ opponi ſolet, quod mortem affert, & ſempiterno ſupplicio addicit. De peccatis leuioribus longè alia ratio eſt, de quibus Ioannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Nec magis humanam imbecillitatē peccato originis propagatam (quam etiam in tinctis relinquere ſolet) excludere tentamus: quæ non obſtat quominus pij etiam Paulo ſancti ſubinde dicantur. Vti nemo tam exacte ſanus eſt, quin aliqua (quæ tamen corpori nihil obeſt) humorum haud prorſus æqua proportione commixtorum intemperie laboret. Quum igitur in matrū vteris ſanctificati ſint infantuli, baptiſmo, cuius peccatorum ſordes eluere propriū eſt, ſanè non indigent, aut non ita indigent, vt ſine illo ſalutem conſequi non poſſint. Caluiniani contrarium pronuntiatum proferunt, idque confidenter aſſerunt, neminem ad baptiſmum recipiendum, niſi de eius ſanctitate compertum ſit, aut ſperari iure poſſit. Qūod exemplis Abrahami, Corneliíque illius Centurionis confirmare nituntur: Nam de Ioan-

ne mox in proxima ratiocinatione agemus. Abrahamus(inquiũt)antequam circunciderctur, iuſtitiæ laudem fide aſſequutus eſt, iuſtúſque palam eſt pronuntiatus. Cornelius antequam tingeretur, ſpiritusſancti eſt illuſtratione donatus. Sed nos ex vno,atque altero exemplo, axioma in genere poſſe conſtitui pernegamus. Et inductionem Dialectici infirmũ argumentandi genus vocant, niſi quod in paucis probatum eſt,idem in omnibus comprobetur. Quod in Abrahamo priuilegium quoddam, ac ſingulare diuinæ beneficentiæ exemplum fuerit ante circunciſionem collata iuſtificatio, vel id docet, quod omneis Abrahami poſteri, antequam fide iuſtificarentur, circunciſi octauo die fuerunt, paucis exceptis, de quibus ſub huius libelli finem agetur. Ita in Abrahamo fides,ac iuſtificatio circunciſionem anteuerterunt, in eius poſteris vtramque circunciſio anteuertit, vt doctè etiam animaduertit Auguſtinus. Priuilegium quoque in Cornelio fuiſſe, quod ante baptiſmum ſpiritusſancti vim admirabilem ſit expertus, non ego ſolus aſſero, nec tamen antiquos illos noſtræ reli-

Aug. li. 4. de bapt. contra Donatiſtas. c. 24.

gionis duces, propagatoréſq; proferam, ſcriptores (inquam) eccleſiaſticos, quos ægrè atq; iniquè Caluiniani recipere, & plerumque malè accipere ſolent. Caluinum igitur proferam, à quo ne diſcedāt, magna illis religio eſt: de cæteris multum ſolliciti non ſunt. Is itaque aduerſus Seruetum diſputans ſic ait: Quod Cornelium ſpirituſſancto primùm donatum, mox tinctum, Seruetus profert, & quod in vno præter ordinē accidit, id in omnibus pro lege habet, ſtupiditatis eſt in primis prædicandæ: vti Eunuchi, & Samaritanorum exempla declarant, quibus ſpiritum ſanctum à baptiſmo conferendum diuina prouidentia iudicauit. Quāquam Eunuchi exemplum falſò propoſitum eſt: Et Caluinum memoria lapſum eſſe conſtat. Neque enim an à baptiſmo, an ante baptiſmum, imò an omnino ſpiritum ſanctum Eunuchus receperit, vſquā proditum eſt. Sed duodecim Epheſios Pauli miniſterio tinctos addere quis merito poteſt. Eam porrò diuinę beneficentiæ veluti formulam paſſim obſeruari ſolere, vt condonata noxa ſpirituſſanctus conferatur, docet Petrus: *Reſipiſcite* (*in-*

Cal. inſt li. 4. c. 16. ſect. 31. locus ex gallicè ſcripta inſtitut. tranſlatus.

Act. 8.

Act. 19.

quit) & vnuſquiſque veſtrum tingatur, vt peccatis remiſsis ſpiritusſancti dono cumuletur. Id enim ordo exigit, vt quis primum noxa condonata, Satanæ quaſi vinculis ſoluatur (omnes quippe natura Satanæ nexu obligati ſumus) mox Chriſto vendicante in eius poſſeſſionem, familiámque perductus, ſuccedente ſpiritusſancti illuſtratione, ac ſanctitate donetur. Nam quemadmodum, niſi purgato morbo, ſanitas redire non poteſt: ita niſi purgata noxa, innocens ſanctúſque eſſe nemo poteſt. Peccatum grauiſſimus animi eſt morbus, ſanctitas certiſſima, præſentiſſimáq; eiuſdem eſt ſanitas. Et quemadmodum ſanitas cum morbo coïre non poteſt, ita nec ſanctitas cum peccato ſimul conſiſtere vnquam poteſt. Naſcimur Satanæ ſerui, excutienda, aut redimenda eſt ſeruitus, vt ſimus liberi: Siquidem Satanæ ſeruus, idem & Chriſti eſſe non poteſt. Chriſti autem ſeruitus ipſiſsima eſt liberta s. Idē porrò ab vtroque domino ſimul vendicari nequit. Deſinat igitur vnuſquiſque primum Satanæ mancipio teneri, oportet, vt Chriſti ſpiritu frui, eiúſque ſanctitate perfundi poſſit. Nonne ſanctificatio-

nem ſanctitas eius effectus, & vita æterna, peccatum originis impuritas,& mors peccati quoque effectus, ac condemnatio (vt inquit Paulus) neceſſario conſequuntur? Quomodo igitur in eodem infante quæ ſe mutuò interimunt, & ſe inuicem priuanteis producunt effectus, conuenire poſſunt? Hinc quàm inconſideratè ex vno,atq; altero exemplo ſuum illud axioma,ad omneis vtique Chriſtianos ex æquo pertingens, Caluiniani inſtruxerint, ſatis (ni fallor) comprobatum eſt.Et id quidem Caluinus ipſe in Serueto acriter reprehendit,ac nimis craſſæ ſtupiditatis arguit,nec ſuis (opinor) ſi adhuc ſuperſtes eſſet, æquior futurus. Etenim aduerſus illos pugnat totis viribus, vnáque cum noſtris niſi baptiſmus pręcedat, ſpiritum ſanctum negat infundi. Si quid præter ordinem fit, id axiomatis veritatem non euertit.Quod autem ſacramenta hoc loco nuda collatæ nobis gratiæ ſignaCaluiniani eſſe contendunt:id ne diſputationis ordo perturbetur, in extremam hanc orationem differemus, atque eorundem vim,præſertim baptiſmi, paucis ediſſeremus. *Rom. 5.*

Secunda catholicorũ obiectio aduerſus Caluinianorũ Sanctificationem.

Pſalm. 50.

SECVNDO loco hæreditariæ Caluinianorum ſanctitati illud Dauidis opponere ſolemus, quo ſe ex conceptu, ortúq; peccato inquinatum eſſe teſtatur. Quod de mortalibus vniuerſis ſacrarum literarum periti verè dici, ſed & Caluiniani quoque confitentur. Si autem id recipimus, ex conceptu ſanctus eſſe nemo poteſt. At Caluiniani Ioannem Baptiſtam ex conceptu, ortúque impurum, nihilominus in matris vtero purificatum, imò verò ingenti diuini ſpiritus vi fuiſſe cumulatum inferunt, atque ex hoc exemplo, aliiſque aliquot rationibus, vt hanc noſtram obiectionem eludant: Alterum non minus quàm quòd priore loco propoſitũ eſt, quinetiam magis falſum axioma conſtituunt: Eundem ſcilicet hominem & peccato conſpurcatum ſimul, & Deo acceptum eſſe, aut (vt vulgò loquuntur) eundem hominem ſimul, & in peccato, & in gratia eſſe aliquando poſſe, imò verò ſemper eſſe. Hoc eſt latens in ſe bellum alere, gratiã ſimul atque peccatum, illis, vt mihi videtur, philoſophis perſimiles, qui omnia velut corruptioni ſubiicientes, ex cõcordia, diſcordiáque totam

mundi machinam, & conditam primum eſſe, & conſtabiliri, ſuſtentaríque voluerunt: quod enim illi de mundo vniuerſo, qui plæríſque ſui partibus, ſed diuerſis, contraria eodem tempore recipere poteſt. Hi de homine minore mundo μικρόκοσμον græci philoſophi appellant, pronuntiant: niſi quod iſti longè magis abſurda inuehunt: in animo enim qui ſimpliciſſimus eſt, & in parteis, vt ante dixi, tribui, diuidíque non poteſt, priuantia, & quæ ſe mutuò interimunt ſimul collocant. Verum enimuero vt hic locus commodius tractetur, repetenda primùm, atque accuratius expendenda eſt illa, cuius paulò antè memini, Adami, Chriſtique collatio. Mox ad Caluinianorũ rationes quibus iſtud axioma fulciunt, refellendas deſcendemus. Vt Adamus inficit tranſfuſo originis peccato, ita ſuos Chriſtus ſanctificat peccatis ſolutos, atque purgatos. Hic enim primus noſtræ iuſtificationis eſt gradus, vt peccata primo loco remittantur, noſtrúmque hoc velut æs alienum diſſoluatur: mox accedat Chriſti gratia, quæ certa noſtrę libertatis eſt vindex, hominémque ſoluto nexu ſanctifi-

cat. Illius omneis moderatur actiones,& ne de via aberret,recta ad æternum illud beatorum animorum domicilium perducit. Quos duos iuſtificationis gradus deſcribit etiam, ac reipſa recipit ipſe Caluinus, quamuis iuſtificationem in aliam ſignificationem accipiat,& de verbo controuerſiam moueat, quinetiam alio loco iuſtitiam noſtram in ſola peccatorum remiſſione collocet. *Itaque primum, inquit peccatorum venia,& iuſtitiæ imputatio promittitur, deinde ſpiritusſancti gratia,quæ nos in vitæ nouitatẽ reformet.* Et paulò poſt. *Ideo enim Chriſti ſanguine emundamur,quia miſericors pater nos pro ſua incomparabili clementia in gratiam recipere volens, mediatorem hunc in medio ſtatuit, qui nobis fauorem apud ipſum conciliet: regenerationem verò ita demum ab eius morte, & reſurrectione conſequimur, ſi per ſpiritum ſanctificati imbuamur noua & ſpiritali natura.*

Cal. inſt. li. 4. c. 15. ſect. 5. & 6. & c. 16. ſect. 3. 4.

Item Beza. *Nam ſi iuſtificationem generaliter accipias, vt interdum vſurpatur ab apoſtolo, Sanctificatio non erit eius effectus, ſed pars, aut ſpecies: Sin verò pro iuſtitiæ tantum imputatæ dono, ſiue gratuita peccatorum remiſsione, tum ſanctificatio alterum erit donum, quod prius illud ſemper conſequitur: quoniam quicunque gratis in Chriſto*

Beza aduer. Math. flac. Illyr. demonſtrationes, ad demõſtr. 23. 24. & 25.

Chriſto iuſtificatur, idem quoque eius ſpiritu ſanctificatur. Vtriuſque autem doni vnus & idem fons eſt: Chriſtus ipſe nimirum per fidem noſter factus, & in nobis ſpiritualiter inhabitans. Neque hic multum contendendum eſt, vtra ordine præcedat: quoniam vno eodemque momento Chriſtus per fidem apprehenſus & ſua iuſtitia imputata nos iuſtificet, & ſuo ſpiritu nos ſanctificare incipiat. Hæc quidē illi. Tametſi nonnunquam ablutionē, ſanctificationem & iuſtificationem Caluinus res eaſdem eſſe *Cal. in c.6.* ſcribit: id quidem falſò & contra eam do *1.corint Idē* *inſt.l.3.c.11.* ctrinam quam in inſtitutione tradit. Sic *ſect.6.et 11.* enim iuſtificationem à ſanctificatione diſtinguit, vt illa in iuſtitiæ imputatione, hæc in renouatione, atque immutatione conſiſtat, quamuis vtramque eodē tempore comparari exiſtimet. Sed inepta diſtinctio eſt, & ne antiquis ſcriptoribus eccleſiaſticis aſſentiri videatur, de verbo contentio. Nam rectè peccatorum remiſſio ac ſanctificatio, iuſtificationis nomine comprehenduntur, vti & veteres comprehendiſſe manifeſtum eſt. Quis enim hominem iuſtificatum, niſi eundem in vitæ nouitatē reformatum intelligere poteſt? Id hîſce verbis docet Auguſtinus.

hoc eſt, iuſtificationis nomine peccatorum remiſſionem, renouationémque intelligi confirmat. *Nempe legimus eos iuſtificare in Chriſto (inquit) qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſquis hæret domino, vnus ſpiritus eſt*. Et alibi. *Sicut ergo verbi gratia vulnere claudicans ideo curatur, vt ſanato malo præterito futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolum ſupremus medicus ſanat, vt illa iam non ſint, ſed vt de cætero recte ambulare poſſimus: quod quidem etiam ſani, non niſi illo adiuuãte poterimus*. Et mox paucis interiectis. *Ipſe autem Deus quum per mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſpiritaliter ſanat ægrum, vel viuificat mortuum. i. iuſtificat impium, & quum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt ad perfectam vitam, iuſtitiámque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, vt piè iuſtéque viuatur. Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere. Sanat ergo Deus non ſolũ vt deleat quod peccauimus, ſed vt præſtet etiã ne peccemus*. Item. *qui ſcilicet Chriſtus præſtat ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis, per quẽ diffunditur charitas in*

Aug. lib. 1. de pecc. meri. & remiſſ. c. 10.

Aug. de natur & grat. c. 26.

cordibus noſtris , per quam iuſti ſunt quicunque *Aug de na*
ſunt iuſti. Cui reſpondet & illud. *Iſtam* *tur. & grat.*
gratiam qua iuſtificamur, id eſt qua charitas *c 63.* *Auguſt. de*
diffunditur in cordibus noſtris , per ſpiritum *Chriſti gra-*
ſanctum qui datus eſt nobis, in Pelagij, & Cele- *tia cõtra Pe* *lag. & celeſt.*
ſtij ſcriptis quæcunque legere potui , nuſquam *li. 1. c. 30.*
eos inueni , quemadmodum confitenda eſt con-
fiteri. Atqui huius gratiæ beneficio per
Chriſti ſpiritum in cordibus noſtris dif-
fuſæ, homo renouatur, hoc eſt, in Dei
obedientiam reformatur. Sed quid in
Auguſtino commoror? quum illud ip-
ſum Paulus explicet? *Sed abluti eſtis (in-*
quit) ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, 1. cor. 6.
in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & ſpiri-
tu Dei noſtri. Nonne hic duo gradus, pec-
catorum ablutio inquam, & ſanctifica-
tio, iuſtificationem antecedunt? Imò ve-
rò iuſtificationem implent. Et alio loco.
Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &
renouationis ſpiritusſancti, quem effudit in nos *ad Tit. 3.*
abunde per Ieſum Chriſtum ſaluatorem no-
ſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus
ſecundum ſpem vitæ æternæ. Quibus verbis
ſatis liquere mihi videtur iuſtificationis
nomine, non ſolum peccatorum remiſ-
ſionem, ſed & regenerationem, ſiue re-

nouationem, aut ſanctificationem appellare quis volet, comprehendi. Si igitur infantulos in matrum vteris ſanctificat Chriſtus, vt peccatum originis quo illi inficiuntur, prius iiſdem remittat neceſſe eſt: ne omnino præpoſterè agat, quod illi diuinæ menti tribuere nefas. Sic gratiam, peccatúmque eidem ſimul homini ineſſe non poſſe ſatis conſtat: quod tamen Caluiniani tanta confidentia inculcant, vt eorundem impudentiam ne magis, an inſcitiam mirari debeamus, conſtituere vix poſſimus. Sed vt omnino illis os iſtud obturemus, ex præſcriptis Caluini verbis agamus. Is ſummam *Cal. inſt. li. 3. c. 11. ſe. 21.* noſtræ iuſtitiæ, in peccatorū remiſſione collocat, imò verò iuſtitiā noſtram peccatorū remiſſionem eſſe definit. Rationem etiā addit, quæ vt facilius perſpiciatur, locum ipſum inſeram. *Audiuimus (inquit) peccatum diuiſionem eſſe inter Deum & hominem,* *Eſa. 59.* *vultus Dei auerſionē à peccatore, nec fieri aliter* *Aug. lib. 1. aduerſ. Pel. c. 10.* *poteſt: quandoquidem alienum eſt ab eius iuſtitia quicquam commercij habere cum peccato: vnde Apoſtolus inimicum eſſe Deo hominē docet, donec in gratiam per Chriſtum reſtituatur. Quem ergo Dominus in coniunctionem recipit,*

eum dicitur iuſtificare: quia nec recipere in gratiam, nec ſibi adiungere poteſt, quin ex peccatore iuſtum faciat: Iſtud addimus fieri per peccatorum remiſsionem. Et paucis interiectis. *Conſtat itaque quos Deus amplectitur, non aliter fieri iuſtos, niſi quod abſterſis peccatorum remiſsione maculis purificantur: vt talis iuſtitia vno verbo appellari queat, peccatorum remiſſio*. Qui locus mihi ſignificantius videtur expreſſus copioſiúſque tractatus, vt cætera omnia, in ea inſtitutione quam Caluinus ſenex paulo antè quam è vita excederet, gallicè ſcripſit, & tanquam commentariorum ſuorum omnium coronidem publicè ædidit. Itaque quum Caluini inſtitutionem nomino, poſtremam hanc intelligo, Chriſtianam, aut Chriſtianæ religionis inſtitutionem ille vocat, & inſcribit, ſed κατ᾽ ἀντίφρασιν, vti ſacram auri famen vocat poëta, vel vti Iobus Deo benedicere iuſſus. Item Nabutha quaſi Deum, ac regem benedixiſſet, id eſt maledictis inſectatus eſſet, damnatus eſt: antichriſtiana enim, aut antichriſtianæ religionis inſtitutio verè dici poteſt, infœlix vates, & antichriſti iamiam aduentantis (vt mihi quidem

Iob.2.
3.Reg.21.

videtur)prænuncia. Vt ad rem redeam. Si nec quenquam ſibi adiungere, nec in gratiam recipere poteſt Deus, quin ex peccatore iuſtum faciat, idq; fieri peccatorum remiſsione neceſſe eſt. Infantulos igitur in matrum vteris cõcluſos, nec ſibi adiungere, nec in gratiam recipere nec ſanctificare (vt loqui mallunt Caluiniani) poteſt Deus, quin ex peccatoribus iuſtos faciat, peccato originis, quo vno illi illiguntur, remiſſo. Hinc duo axiomata neceſſariò emergũt: Alterum, peccatũ & gratiã ſimul eidẽ infantulo ineſſe non poſſe: quod Caluiniani confidenter aſſerunt. Alterũ, ſi infantulos in matrum vteris in gratiã recipit Deus, idq; niſi peccato originis remiſſo, fieri non poteſt eoſdẽ naſci puros & peccati illius prorſus immunes. Quod tamẽ illi negãt, & peccato inquinatos naſci cõtendunt. At de adultis duntaxat (inquiet aliquis) loquitur Caluin⁹. Sanè in genere vtrumq; axioma pronũtiauit, haud quenquã in gratiã à Deo recipi, quin prius ex peccatore iuſtus fiat, quod in vniuerſa humana natura verũ eſt: Nam vt rectè ex Eſaia, Auguſtinóq; excerpſit Caluinus, peccatum ſemper, inter Deũ & hominẽ ſepa-

ratio eſt. Vitã præterea, ac mortẽ ita inter ſe opponi ſcribit Auguſtinus, vt ſi altera adſit, alterã abeſſe, ſi altera abſit, alteram adeſſe ſit neceſſe. Atqui vt illæ opponuntur, ita & earundẽ cauſas efficientes inter ſe opponi quoq; manifeſtũ eſt, gratiam (inquam) atq; peccatum: ita & earundem effectus, ſalutẽ ſcilicet, & damnationem. Hinc concilium Arauſicanum peccatum originis mortem animæ interpretatur, quæ non niſi ex vitæ priuatione contingere poteſt. Atque adeò hæ efficientes cauſæ, effectúſque ſic inuicem conuertuntur, vt nunquam ſeparari queant. Quî igitur gratiam, peccatúmque potius, quam vita, & mors quam ſalus, & dãnatio coire poſsint? Gratia nos Dei peculio liberos aſſerit, peccatum Satanæ nexos addicit, gratia cum Deo coaleſcimus, illi prorſus vnimur, illi viuimus peccato ſeparamur, atque ab illo ſeparati, hoc eſt, vita ipſa priuati, æterna morte demergimur. An hic quoque gratia, & peccatum coïbunt? non magis profecto quam cum ſeruitute libertas, cum vita mors, cum ſalute damnatio, cum Satana Deus conuenire aliquando poteſt. *Vbi au*

Aug. li. 2. cõt. 2. Pela. epiſt. c. 4.

Conc. arauſ. c. 1. & 2.

tem Vita Dei (inquit Auguſtinus) niſi in regno Dei? Nos contra addere poſſumus: vbi mors vitæ illius priuatio, niſi in Satanæ regno? Quis igitur adeò erit inſanus, aut humani ſenſus expers, qui hæc tam diſtantia, tam ſibi inuicem pugnantia copulare nitetur? Non auſus eſt Caluinus apertè peccatum originis cum Pelagianis negare, quod ſe recepta Cõciliorum multorum authoritate, magníſque omnium ſcriptorum eccleſiaſticorum præiudiciis premi videret: noluit cum nòſtris vim baptiſmi, qua peccata eluuntur, recipere, quod inde permulta, cum ſuis decretis pugnantia conſequi: præſertim verò fidelium infantes ſine baptiſmo ſuſcepto mortuos ſummæ illius quæ piis promittitur fœlicitatis ſpe excidere animaduerteret, niſi priuatim, & quodã priuilegio erga eoſdẽ clementiam ſuã Deus exerceat. Medium quidam excogitauit, hanc ſcilicet ex Abrahami fœdere manantem ſanctitatem, qua ſe nec peccatum originis euertere gloriatur, & ſalutèm nihilominus etiam non tinctis fidelium infantibus pollicetur: Peccatum enim manere ait, ſed ita hac ſanctitate

obrui, vt infantibus nihil obſit, quominus ſalutem conſequantur, hoc eſt, peccatum quidem manere ait, & tamen non eſſe peccatum: ſi enim peccatum eſt, mortem generat (vt ſcribit Paulus) *Per hominem enim peccatum introiit in mundum (inquit ille) & per peccatum mors, & ſic omneis homines mors peruaſit, quandoquidem omnes peccauerunt*. Si peccatum mortem generat, vita & ſalute nos priuat, nec quiſquam propriè peccatum concipere poteſt, quin idem & ſalutis in peccante priuationem neceſſario inferat, vt ea ſanctitate ſopiri, obruíve peccatum originis non poſſit, niſi eadem opera peccatum eſſe deſinat. Si igitur infanti recèns nato ineſt peccatum originis, ſanctiatē abeſſe neceſſe eſt. Si ſanctitas ineſt, peccatum abeſſe conſtat. Itaque vir doctus & acutus non vidit, dum medium illud ſuum tueri vult, ſe in extrema præcipitari, atque in profundiſſimum errorum baratrum demergi. Quod & illi in cœnæ quoque tractatione contigit, dum eum ſe quaſi arbitrū inter Auguſtanos, Zuinglianóſque collocat, & ab vtríſque nonnulla mutuò accipiens, alia reiiciens, ac ſua viciſſim ſup- *Rom. 5.*

ponens,cum illis veram corporis & ſanguinis Chriſti pręſentiam verbis fatetur, re denegat,cum iſtis ſigna corporis & ſan guinis, non ipſum corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe ait,& neſcio quam inſuper imaginariam(vt ita loquar)præſentiam af fingit,vtriſque abſurdiora,& à vera Chriſtianæ religionis doctrina magis aliena dogmata inuehit. Tum vero iuſtitiam no ſtram peccatorum remiſſionem eſſe definit, quod de adultis pariter,atque infan tulis verè quoque pronuntiatur, ſed in alium ſenſum quàm ille interpretatur, nempe iuſtitiam non poſſe vtriſque conferri niſi peccatis prius remiſſis.Nã idem in vtriſque iuſtificationis ordo, gradúſq; obſeruatur. Si tamen vera eſſet illa iuſtitiæ à Caluino propoſita deſcriptio, iuſtitiam(inquam)eſſe peccatorum remiſſionem, non minus profectò in infantulis, quam in adultis locum haberet. Ergóne tantus doctor ſecum pugnat? pugnat nimirum,& aut peccatum originis, infantulis nondum in lucem æditis,vel baptiſmo nondum initiatis ineſſe neget, (quod minimè vult)aut eoſdem,niſi quid baptiſmi vicem impleat, ante baptiſmum ſan-

ctificari inficietur, aut quoſdam in Dei gratiam receptos, quos ex peccatoribus iuſtos non fecerit Deus, fateatur neceſſe eſt:ſed iſtud mox etiam fuſiùs tractabitur. Addam duntaxat quod hanc deſcriptionem vt alia permulta ex Pelagio Caluinus excepit. Quod enim ille de gratia Dei olim docuit, *qua Chriſtus venit in mundum peccatores ſaluos facere*, vt refert Auguſtinus, hic ad iuſtitiam noſtram tranſtulit: niſi quod à veritate longè magis aberrauit. Siquidem Pelagiani dum gratiã in ſola peccatorum remiſſione cõſtituũt, ποιότητα quandam atque immutationem interuenire concedunt. Caluinus autem dum iuſtitiam noſtram itidem in ſola peccatorum remiſſione collocat, nullam qualitatem, aut immutationem intercedere exiſtimat, ſed peccata duntaxat à Deo non imputari ſcribit: quamuis illa homini ſemper inhæreant, nec magis ab homine, quàm corpus ipſum ſeparari queant. Quem ſequutus Beza, nos nulla inſita qualitate, ſed ſolo Chriſto per fidem, vt inſtrumentum aprehenſo iuſtificari tradidit, quod quidem ſi verum eſt, ſi (inquam) homo qui grauiſſimis pecca-

Aug. lib. 1 de gratia Chriſti cõtra Pelag. & Celeſt. c. 2.

Beza aduer. Matt. flacc. Illyr. demõſtr. ad demõſtr. 23. 24. & 25.

tis pollutus erat, nulla immutatiōe facta, nulla qualitate inſita, ſed ſola iuſtitię Chriſti, imputatiōe iuſtificatur, ac tū moritur, in cœlūq; recipitur, vt Caluinus ac Beza tradūt, nónne reipſa pollutus peccata ſua ſecum in cœlū effert? quāuis fucatę huius iuſtitiæ imputatione velut dealbatus, ac tectus, & quodammodo perſonatus latere, atque alius quidam quàm revera ſit, eſſe videatur. Ita alienis plumis ornatus ſacramentariorum ille Coryphæus ſeſe oſtētat, atque adeo nullū delectū habet, & eò impudentiæ progreditur, vt etiam damnatos veterum hæreticorum errores renouare, quinetiam augere, & ſub ſuo nomine ſimplicioribus ingeniis venditare non erubeſcat. Qui igitur Caluinum legunt, cum iudicio legant: Et ſi quid noui ſe comperiſſe exiſtimant, videant ne mox id peruetus eſſe agnoſcāt: vti nihil eſt iam dictum, quod non dictum ſit prius. Quod ſi id in antiquorum hæreticorum ſcriptis extare nouerint, noua cōcilia, nouáque iudicia ne quærant: mutatum nomen, cauſam eſſe eandem ſciāt. Quod fere in omnibus quæ ille aduerſus eccleſiæ conſenſum ſcripſit, deprehendi

facile poteſt, ſi quis ſingula à ſuo quæque capite arceſſat. Si quid præterea ex ſuo addidit, malis illum mala addidiſſe, aut ex malis peiora reddidiſſe, res ipſa conuincet.

NVNC quas hoc loco ſuo axiomati Caluiniani rationes aſtruunt, perſequamur: Ioannem Baptiſtam in peccato conceptum, natúmque aiunt (ſic enim loqui ſolent) nec minus in matris vtero, exuberanti diuini ſpiritus gratia perfuſum. Hinc peccatum, gratiámque eidem ſimul ineſſe inferunt. Nos perinde atque illi Ioannem in peccato conceptum fatemur, in peccato autem natum pernegamus, quod eundem in ipſo matris vtero in gratiam receperit Deus, quem niſi peccato remiſſo recipere non potuit, vel teſte Caluino. Quî autem Ioannem in peccato natum Caluiniani probabunt, proferant locum è ſacris literis, ſin nullũ habent, & ad theſim confugiunt, omneis mortaleis ex conceptu, ortúque peccato eſſe infectos: Confecta nondum res eſt, imò prorſus nihil actum eſt: aio ſingulare fuiſſe diuinæ beneficentiæ exemplum, quod Caluinus ipſe non negat, vt Ioan-

Cal. inſt. li. 4. c. 16. ſect. 17. et in appẽd. de vera eccl. refõrm. ratione.

Ieremiæ c. 1

Hierony. in c. 20. Mat.

Idem ad Marcellam

nis munus, miniſteriúmque declararetur auguſtius. Quemadmodum & de Ieremia legimus, ſed de alio præterea ſacris literis proditum non puto. Etſi id de Iacobo Domini fratre tradit Egeſippus. Samuëlem addit Hieronymus, verũ vbi legerit non video. De Aſella quoque virgine, eadem ſcribit, vti permulta quotidie diuinæ bonitatis experimur exempla. Maius quiddam de beata virgine, Domini noſtri Ieſu Chriſti matre, Theologi tradiderunt, eam ſcilicet ne ex cõceptu quidem aliquãdo fuiſſe pollutam, ſed ex his paucis exemplis theſin conficere non licet. Imò verò quoniam ea vt ſingularia quædam Dei dona Ieremiæ, ac Ioanni priuatim conceſſa narrãtur, contrariam theſin meritò conſtituere, atque infantes in matrum vteris nõ ſanctificari, ſed impuros naſci affirmare poſſumus.

Egeſip. li. 5. Euſeb. hiſt. eccle. lib. 2. cap. 23. Cyrill. li. 6. in Ioã. c. 15. Auguſt. de nat. & gratia c 36. Petrus Galatinus de arc. Cath. verit. lib. 7. cap. 5. Thomas parte. 3. queſt. 27. art. 1.

PROFERTVR & Pauli locus à Caluinianis, quo carni ſuę ita inſidere peccatum is fatetur, vt quod odit malum, agat, quod optat bonum non agat: Hac enim loquendi formula vtitur Paulus. Atque interim magno ſupercilio damnantur à Caluinianis Eccleſiaſtici ſcri-

Rom. 7.

ptores, qui Paulum ſub aliorum perſona loquutum monumentis ſuis prodiderũt: Et in contemptum Romanæ eccleſiæ do ctores appellãtur. Et ne quis è vulgò obſcuros aliquos interpretes intelligi exiſtimet, eoſdem de nomine noſſe operæpretium eſt: Nomina ſi quidem Caluiniani ſupprimunt, ſiue de induſtria, ſiue quod illos non legerint: Sed ex Caluino ſuo duntaxat ita vel audierint, vel excerpſerint. Sunt autem hi, Origenes, Gregorius (vt refert Auguſtinus, Nanzianzenum intelligi puto) Chryſoſtomus, Theodoritus, Theophylactus, inter Græcos: inter Latinos, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus & aliquando Auguſtinus, quanuis eam ſententiam poſtea retractarit, ſed ita, vt priorem non damnet, cæterum alteram commodiorem putauit. Addere poſſumus ex recentioribus Eraſmum. Quos è Caluini officina prodiens neſcio quis, qui vix vnam, aut alteram Latinam, Græcam autem ne vllam quidẽ ſyllabam nouit, tãquam ſeuerus quidam Ariſtarchus, compoſito admodum vultu graui ſanè ſententia, imperitię damnat, atque tarditatis. O tempora, O mores exclamabat

olim Latinorum oratorum eloquentiſſimus: quod hodierno die, viri Metenſes, in re magis ſeria, maioríſque momenti nobis noſtro iure exclamare profecto licet. Tum enim reipublicæ duntaxat, hic etiam religionis cauſa vertitur. In quæ autem tempora incidimus? quos hominum mores patimur? Eccleſiæ quæ ſe ad primæ illius, Apoſtolicæq; eccleſiæ normam compoſitas iactant, quæ ſe antiquã illam integritatem referre nominis præ ſe ferunt, quos habent nouæ iſtius doctrinę duces, atque ꝓpugnatores, niſi aut ignotos, aut qui monachiſmum abiurarint, aut ſacrarum literarum rudes, aut vitæ ſordibus infames, aut inſignis alicuius facinoris ergò patria extorres. Et tamen hiſce bonis artibus inſtructi, atque ita de religione benemeriti (ſi Deo opt. max. placet) quem noſtrorum, imò quem antiquorum epiſcoporum, atque ſcriptorum, præ ſeſe non faſtidiunt? quo ſupercilio vtróſque aut conuitiis lacerant, aut tanquam rudes deſpiciunt? Itaque hoc aſſequuntur, vt quum & veteres, & eos, qui ſuperſtites de Repub. Chriſtiana benemerentur, vbíque inſectẽtur, ſe vtrarumque

que doctrina, & vniuerſę eccleſię cõſenſu ꝓrſus alienos eſſe teſtẽtur, hoc eſt, ſeſe cõceptis verbis hęreticos eſſe ꝓnuntient.

Vt autem ad Pauli locum nuper commemoratum redeam, Aio vtramque interpretationẽ, vt vel ipſe Paulus de ſe, & ex ſuo ſenſu, vel de aliis illorum quaſi perſonam induens loquatur, mihi probari. Et Caluinus ipſe, quanquam Paulum ſub aliorum perſona loqui negat, tamen non ſolum de ſe, *ſed & de fidelibus diſſerere confitetur. In quibus viget aliqua ſpiritus gratia, quæ illuſtret ſanæ mentis conſenſum cum iuſtitia legis, quia in carnem non cadit peccati odium.* Hæc enim illius verba ſunt. Caluinianis itaque tam acutis rerum perueſtigatoribus optio detur, vtram interpretationem recipere malint. Et quandoquidem priorem ſolùm recipiunt, agite, periculum faciamus, quid illorum argutiæ aſſequantur. Paulus (inquiunt) à Deo ſelectus peccatum carni ſuæ inſidere palam fatetur. Si à Deo ſelectus erat, Deo certè erat acceptus, & carnem nihilominus peccato prutientem, inquinatámque experiebatur: gratia igitur & peccatum eidem ſimul homini ineſſe poſſunt. Primùm aio

Cal. in c. 7. ad Rom. & inſtit. li. 2. c. 2. ſect. 27. Aug. lib. 1 cõtra 2. Pelag. epi. c. 11

Locus ex Caluinianorum centone gallicè ſcripto in Latinũ ſermonẽ conuerſus.

illationem non ſatis cohærere. Non enim qui ſemel à Deo eſt ſelectus, Deo ſemper eſt acceptus, aut (vt loquuntur) non ſemper is qui vas eſt electionis, in gratia eſt. Selectos à Deo Dauidem & Petrum negarit nemo, dum tamen adulterio ſe polluit Dauid, aut Petrus Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum agnoſcere detrectat,
2. Reg. 11. Matt. 26. periurióque ſe deuouet, neuter tum Deo acceptus fuit, alioqui & adulteriũ & periurium, & deſerta religio ne peccati quidem loco habeantur. Alioqui electi nunquam ſaltem peccato, quod mortale vocant, peccarent, vt temere Caluinus aliquando cenſuit, dum peccata non ex rei, ſed ex ſubiecti, & eius qui peccat natura, diſtinguenda exiſtimauit: hoc eſt, dum electorum peccata omnia venialia, im-
Cal. inſt. li. 3 c. 4. ſect. 28. piorum morralia (vt loquuntur) eſſe contendit. At rem, id eſt factum ipſum, reſpexit Paulus. *Qui talia agunt (inquit) digni ſunt*
Rom. 1. *morte.* Imò verò Chriſtus: *Qui iraſcitur fra-*
Matth. 5. *tri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit cõcilio. Qui autẽ dixerit, fatue*
Cal. inſt. li. 4. c. 1. ſect. 24. & ſeq. *reus erit gehennæ ignis.* Quinetiam Caluinus alio loco electos grauiſſimè nonnunquã peccare non negat. Peccatum igitur an

venia ſit dignum, an mortem pariat, læ-
taléque ſit, non eius qui committit æter-
na electio, aut prædeſtinatio; ſed res
commiſſa diſtinguit. Alioqui alterum ab
altero diſcernere nemo poſſet, vti nec ſe-
lectos diſcernere à reiectis poſſumus. At *Aug. li. 2.*
qui Auguſtinus eum qui non procrean- *cõtra Iulia-*
dæ ſobolis, ſed explendæ libidinis ergò *nũ in epilogo*
cum vxore rem habet, priore, eum autem
qui adulterium committit, poſteriore ge
nere peccare ait, & actionem ipſam, non
hominis conditionem horum diſcer-
nendorum canonem eſſe indicat. Et alio
loco ita ſcribit. *Non vobis dico quia ſine pec-
cato hic viuetis, ſed ſunt venialia, ſine quibus
vita iſta non eſt. Propter omnia peccata, baptiſ-
mus inuentus eſt, propter leuia, ſine quibus eſſe
non poſſumus, oratio eſt inuenta.* Tum vt pe- *Aug. lib. 1*
nitius rem excutiamus, addo peccatum *de ſymbolo*
impropriè, nec vt gratiæ opponi ſolet, *ad catechu-*
hoc loco vſurpari. Nam tum mortem af- *menos. c. 6.*
fert (vt docet Paulus) & nos diuinæ gra-
tiæ beneficio priuat. Concupiſcentiam *Rom. 5.*
enim (vt hoc nomen theologi vſurpant)
intelligit Paulus: antiqui ſcriptores fo-
mitem interpretantur, hoc eſt, aculeum
quendam naturæ noſtræ à prima ipſius

origine inſitum, ex quo Adamus in Dei præceptum olim peccauit, peccatíque reliquias quaſdam poſteris ſuis reliquit, hanc ſcilicet concupiſcentiam, quæ in his, qui baptiſmo ſunt initiati, nec peccatum eſt, nec propriè peccati nomine cenſetur. Quamuis peccatum interim à Paulo, ſed impropriè nonnunquam appelletur, quod peccatorum ſit quoddam incitamentum. Concupiſcentiam autem niſi accedente conſenſu non eſſe peccatum, multis locis docet Auguſtinus, quorum aliquos inſigniores, vt tota res magis illuſtretur, huc inſerere non alienum putaui.

Aug. li.1. de nupt. & cõcupiſ.c.23

Nam ipſa quidem concupiſcentia (inquit) iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur: atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur. Et paulo poſt:

C.26.eiuſdem libri.

Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, quum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum, ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Itémque ſic vocatur peccatum, quia ſi vincit, peccatum facit: Sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, ſed quod pigros faciat.

Idem lib.1. contra 2. P.lag.epiſt. c.13. & lib. 6.cõtra Iulian.c.7.

Et alio loco: *In eis ergo qui regenerantur in Chriſto, quum remiſſionem accipiunt, prorſus*

omnium peccatorum, vtique neceſſe eſt, vt reatus etiam huius, licet adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, vt in peccatum (ſicut dixi) nō imputetur. Nam ſicut eorum peccatorum quæ manere non poſſunt (quoniam quum fiunt prætereūt) reatus tamen manet, & niſi remittantur, in æternum manebit. Sic illius concupiſcentiæ quando remittitur, reatus aufertur. Idem hos concupiſcenitæ partus (ſic humanos affectus vocat, quibus additus conſenſus non eſt) præſcripta illa à Chriſto oratione, & liberalitate erga egenteis condonari ſcribit, ac mox propriè non eſſe peccata his verbis docet. *Multi fideles baptizati ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim: non quia peccati aliquid remaneat, quod in baptiſmate non remittatur: ſed in nobis in huius vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quieſcunt, quæ fideliter orantibus, & miſericorditer operantibus quotidie remittantur.* Hinc baptiſmo non radi, ſed auferri peccata, is quoque teſtatur: ne peccati vllas radices (ſicut ducta à raſis capillis ſimilitudine Pelagiani inferebāt) ſupereſſe, & adhuc hærere quis putet. Quod etiam confirmat his verbis Chryſoſtomus. *Deus quū peccata delet, neque cicatricē relinquit, neque per-*

Matt. 6.

Aug. li. 1. contr. 2. Pelag. epi. c. 4.

Chry. homi. 80. ad pop. Antiochenū de pœni. & prœmio priore in Eſaiam.

mittit remanere veſtigium : ſed cum ſanitate pulchritudinem quoque reſtituit: cum liberatione à pœna, dat & iuſtitiam, & preuaricatum non preuaricato ſimilem reddit.

POSSEM & alios ex Auguſtino locos proferre, quibus cõcupiſcentia nõ accedẽte conſenſu, peccatũ non eſſe conuincitur, ſed illis breuitatis ſtudio prætermiſſis idẽ ex Paulo confirmabo. Quod vt magis perſpicuum fiat, in quot & quas parteis hominẽ partiatur Paulus, videre operæpretiũ eſt. *Ipſe autẽ Deus pacis (inquit) ſanctificet vos totos, vt integer & ſine culpa veſter ſpiritus, & anima, & corpus in aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti reſeruetur*, aut ſi ita vertere mauis, in conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruetur: ſic enim habet Gręcus codex, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ τηρηθείη. quam interpretationẽ à Pauli ſenſu non alienam arbitror, licet antiqui ſcriptores, priorẽ ſequantur, quã etiã valdè amplector. Animaduertitis treis hominis parteis, ſpiritũ, animam, corpus, ſiue carnẽ? Anima intermedia inter ſpiritũ & carnẽ collocatur: ſicut intermedia quoque eſt princeps animę facultas, nẽpe voluntas. Ea ſi vna cũ ſpiritu cõiuncta erit,

1. Teſſ. 5.

In die Domini Seruetur, Legit Epiphanius in Ancoratu

Hie. quaeſt. 12. ad Hedibiam.

Chry. homi. 11. in epiſt. 1. ad Theſ.

Theophy. in c. 5. eiuſdem epiſtolæ.

Theodoritus ibidem.

pariet fructus ſpiritus, hoc eſt bona opera,& omnis generis virtutes, quas diuini ſpiritus gratia, homini infuſa ſtatim partu rit, voluntas accedens parit. Tum enim ſpiritui imperanti, voluntatíque pariter trahenti, caro vtrique cædens, victáque parere cogitur. Si vnà cum carne neglecto ſpiritus imperio volũtas cõiungetur, carnis fructus ædet (vt loquuntur Theologi) hoc eſt peccata, quæ inſtigante illo naturali aculeo (cuius paulò ante memini) caro quaſi concipit, volũtas comes, conſentiénſq; perficit, atque in lucẽ ædit. Quanquam voluntatem aliter Stoici definierunt, vt ea ſit, *quæ quid cum ratione deſiderat: quæ aduerſus rationem incitata eſt vehementius, libido, vel cupiditas effrenata dicatur.* Cic. lib. 4. Tuſc. quæſt. Non ſum neſcius, varias in hunc Pauli locum extare antiquorum ſcriptorum interpretationes, quod per ſpiritum, alij gratiã in baptiſmo receptũ, alij omnia in genere ſpiritus ſancti dona, alij animæ partem, quæ rationis eſt compos, intellexerint: Sed omnes vno ore, inter ſpiritũ atq; carnẽ, voluntatẽ interiectã intermediáq; cõfitẽtur, ſine qua naturalis ille carnis aculeus, in iis, qui baptiſmi gratiã recepe-

runt, nec verè dici, nec eſſe peccatũ poteſt. Id explicat in hæc verba Tertullianus: *ſequitur animam nubentem ſpiritui caro, vt dotale mancipium, iam nõ animæ famula, ſed ſpiritus. O beatũ connubiũ ſi non admiſerit adulterium.* Id quoque indicat Cyprianus. *Nam cum corpus è terra, & ſpiritũ poſſideamus è cœlo, ipſi terra, & cœlũ ſumus, & in vtroq; i. corpore & ſpiritu, vt Dei volũtas fiat, oramus. Eſt enim inter carnẽ & ſpiritũ colluctatio, & diſcordãtibus aduerſus ſe inuicẽ quotidiana cõgreſſio, vt nõ ea quæ volumus, ipſi faciamꝰ: dũ ſpiritus cœleſtia, & diuina quærit, caro terrena, & ſecularia cõcupiſcit. Et ideo petimus impensè inter duo iſta ope & auxilio Dei concordiã fieri, vt dũ & ſpiritu, & carne volũtas dei geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſeruetur.* Cypriano aſſentitur Origenes. *Frequẽter in ſcripturis inuenimus (inquit) quod homo ſpiritus, & corpus, & anima eſſe dicatur. Verũ quũ dicitur, quia caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ, Spiritus aduerſus carnẽ, media proculdubiò ponitur anima, quæ vel deſideriis ſpiritꝰ acquieſcat, vel ad carnis concupiſcentias inclinetur.* Quinetiã Hieronymꝰ ſcribit, inter opera carnis & ſpiritus, mediã animã fluctuare, nunc hæc, nũc illa cupientẽ. Quod ſi hæc naturę noſtrę corruptio, q̃ cõcupiſcentiã

Tertu. lib. de anima.

Cyprianus ſermone de orat. dominica.

Origenes in c. 1. ad. Ro.

Hieron. ad Saluinianũ de vidaitate ſeruanda.

vocam⁹,ab Adamo in totã ei⁹ poſteritatẽ propagata,in tinctis verè peccatum eſſet, etiãſi nihil eidẽ aſſentiamur, maior nimirũ eſſet lętalis,atq; hęreditaria ex Adamo diffuſa labes,q̃ Chriſti viuificantis gratia, quod tertia ſua ratiõe Caluiniani ſedulò negãt. Verè enim hominem illa inficeret, verè iſta nõ purgaret. Hinc quoq, dãnatur & temeraria Muſculi aſſertio,qui peccatum originis,nec iuſtitia fidei, nec circuncisione ſigillo iuſtitiæ fidei,nec baptiſmo reipſa tolli, aut aboleri exiſtimauit. Alioqui (inquit) ſi in Adamo ſublatum eſſet,ita ſanè ſublatum eſſet,vt omnis eius poſteritas ab hac labe immunis prorſus fuiſſet. Id enim neceſſario non conſequi palam eſt: Quod in Adamo peccatum ipſum quidem re vera ſublatum eſt, vt etiam baptiſmo ab illo in nos propagatum aufertur, non autem peccati illius primi priuata affectio,ſiue proprietas,aut pœna (vt docet Auguſtinus)qua ex Adami poſteris vnuſquiſque qualis natus eſt, talem quoque gignit. Quanquam & ipſe Muſculus repentinas ὁρμὰς, & concupiſcendi apprehenſiones (concupiſcentiæ partus, ac quaſdam in regeneratis peccati origi-

Muſculus i c.17. gene.ſ parte. 2.obſeruatione 5

Aug.l.14.de ciuit. dei.c.3 & li.15.c.6.

nis velut reliquias vocat Auguſtinus) niſi iiſdem aſſentiamur; peccata eſſe negat, Auguſtinum ſequutus. Sic enim ſcribit. *Peccatum tribus iſtis velut gradibus exurgit, & abſoluitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione: voco autem conſenſionem, non quamuis voluntatis nutationem & acclinationem, ſed eam qua plenè & abſolutè tentationi aſſentitur animus, & nihil iam quærit aliud, quàm quomodo delectatione, qua deceptus eſt ac victus, fruatur: Atque ita in opus ipſum perficiendum totus propendet, & anhelat leuis & momentanea inclinatio voluntatis, quæ confeſtim ſpiritu timoris Dei corrigitur, & ſi animi imbecillitatem arguit, loco tamen plenæ & abſolutæ conſenſionis haberi non poteſt.* Et alio loco enarrãs illud Matthæi. *Pater mi ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, Duæ ſunt (inquit) hic in Chriſto voluntates: vna carnis mortem horrentis, altera ſpiritus in obedientiam patris ſpontanei: ad carnis voluntatem pertinet quod dicit: tranſeat à me calix iſte: ad ſpiritus verò, quod ſubiungit: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et paulò poſt. *Diuerſitas iſta affectuum in vno Chriſto, qua caro dicit, tranſeat calix iſte, Spiritus vero, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, obſeruanda eſt diligenter. Pluri-*

Muſculus in locis cõmunibus c. de peccato artic. 2.

Muſculus in c. 26. matt.

mum enim ſeruit conſolationi afflictorum, ne vbi aduerſorum horrorem in ſe ſentiunt, & carnis gemitibus acerbitatem impoſitæ crucis deprecantur, putent ſe nihil habere fidei, vel iſtam tergiuerſationem carnis tantopere diſplicere Deo, vt illius gratia nolit luctantibus ſuccurrere, aut velit obedientiam ægrè præſtitam repudiare. Abſit, modo hæc lucta terminetur ad exemplum Chriſti, finali iſta ſubiectione, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Si hæc lucta carnis & ſpiritus in Chriſto viguit, qui omnis peccati tum hęreditarij, tum voluntarij fuit expers, quomodo eandem in regeneratis peccatum eſſe dicemus, niſi eadem opera Chriſtum peccati arguere velimus? quid autem aliud carnis tergiuerſationem vocat Muſculús, quam in Chriſto fuiſſe fatetur, niſi carnem aduerſus ſpiritum rebellem ac repugnantem, qualem in regeneratis concupiſcentia relinquit? Ex hoc igitur Pauli loco, qui de concupiſcentia, cui adiunctus conſenſus non eſt, intelligi debet, præſertim ſi Paulum loquētem facimus, perperam vel nos peccatis ſemper eſſe commaculatos, conſpurcatóſque, vel peccato ſimul, gratiáque partim ſordidos, partim puros, ſanctóſque Caluiniani in-

ferunt: quod enim peccatum vocat Paulus, peccatum re vera non eſt, nec diuinæ gratiæ opponi debet. Quod autem Paulus ſe quod optat bonum, non præſtare, &quod odit malum, patrare ait, id reipſa, ita accidiſſe interpretari non debemus. Nam concupiſcentiæ illius, de qua iam ſatis multa diximus, naturam, ingeniúmque depingit: quæ nos huc, illúcque procliues impellit, atque incitat, ſed incitatos retinet homo intimus, ſiue interior (vt Paulus loquitur) nóſque in officio cõtinet: Sicut & mox legem diuinam ſibi pergratã κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, id eſt quod ad interiorem hominem attinet, idem profitetur. Paulum ſiquidem non ita vitiis addictum fuiſſe conſtat: quem pharariſaiſmum etiam profitentem, necdũ Chriſtianiſmo imbutum, vitæ integritas eximia commendabat.

Philip. 3.

Math. 6.

PROFERVNT & Matthæum Caluiniani, nihil ſanè tale meditãtem, & ab illorum ſenſu multum abhorrentem. Si peccatum & gratiam (inquiunt) nobis ſimul ineſſe non confitemur: quî Deum, vt nobis peccata remittat, patrem inuocare poſſumus? Si pater eſt, in gratiam nos

recipit, acceptos habet, & peccata nihilominus interim confitemur. Deus (inquam) benignus eſt, clemens eſt, omnibus qui nomen illius inuocāt, perfacilem ſe præbet. Quotieſcúnq; igitur vnuſquiſque reſipiſcit, peccatum agnoſcit, Dei bonitatem implorat, Deum patrem experitur, qui paterna indulgentia filium redeuntem ad ſe recipit, & noxam pariter condonat. Is enim apud prophetam ita nos affatur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. Conuerſionem ſiue reſipiſcentiam ſtatim Dei miſericordia conſequitur. *Et ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus inquit* Ioannes. Sed humanam imbecillitatem, hoc eſt, leuiora peccata deſignat, ſine quibus hāc vitam viuere nō poſſumus. His præterea iam olim abundè ſatisfecit prodigi filij parabolam explicans Hieronymus: *Fruſtra quidam argumentantur (inquit) nomen patris in ſanctos tantummodo conuenire: qūū etiam Deum patrem vocet, qui ſe filij nomine confitetur indignum. Niſi forte ideo patrem audet vocare, quia plena mente cōuerſus eſt*. Et paulò antè. *Antequam dignis operibus, & vera pœnitentia ad patrem rediret antiquum, Deus apud quem*

Zacha. 1.

1. Ioan. 1.

Hieron. ad Damaſum.

cuncta futura, iam facta ſunt: & qui eſt omnium præſcius futurorum, ad eius præcurrit aduentum, & per verbum ſuum quod carnem ſumpſit ex virgine, reditū filij ſui iunioris anticipat. At qui baptiſmo nondū eſt initiatus, Deum patrem inuocare non poteſt, (vt ſcribit Auguſtinus) *Nam quomodo (inquit) dicunt pater noſter, qui nondum renati ſunt?* Neque filius vocari, vt docet Chryſoſtomus. *Nam extra baptiſmum* (inquit) *nemo filij appellatione donatur, & domum habitat paternam, & paternam in ſortem accepit omnia. Ante baptiſmum non eſt paterna accipere, neque hæreditatem conſequi.* Vt infantes ante baptiſmum nec in Abrahami fœdere contineri, nec Deo acceptos eſſe poſſe liquido conſtet.

Chryſo. in c. 6. matth. Idē hom. 10 de pœnitētia

NEQVE vero (vt falſò nobis Caluiniani imponunt) hominem ad deſperationem adigimus, quaſi ſemper is, omníque momento peccatis ſit inquinatus, ac quodammodo concretus: nec magis illi καθαρότητα ſiue puritatē Anabaptiſticam, aut Nouatianam potius, (à Nouato enim primum vel Montano, vt ſcribit Hieronymus inuecta eſt) affingimus. Multum vtique ab vtroq; dogmate abhorremus. Sed quæ illi ipſi falſa dogmata inuehunt,

Amb. li. 1. de pœnitētia c. 1. & 6. Hiero. li. 2. ad Iouinia.

eadem nobis affingere conantur. Quid enim aliud ſibi volunt, quum hominem ex conceptu ortúque, ac tota vita inſuper gratia præditum, pollentémque, & peccato infectum, ac quaſi concretum, hoc eſt, & Deo acceptum ſimul, & Satanæ nexum eſſe profitentur? Atque vbi eundem ab initio vſque ad extremum, à vertice ad pedes vſque (vt vulgo aiunt) omnibus inquinamentis inquinatiorem reddiderunt, è Lutheriano Narthecio pharmacon, quod Caluinianis etiam aliquot herbis miſcuerunt, quaſi præſens remedium porrigunt, quo illum licet ſemper impurum, atque fœdum, puriſſimum tamen, ſed ſola inanique cogitatione perinde, ac ſi Homericum quendam Deum, aut Ianum aliquem bifrontem depingerent, (Nam re vera non ita eſſe ipſi quoque confitentur) nobis deinde repreſentent. Si quis enim Deos Homericos penitus inſpiciet, comperiet nimirum homines fuiſſe facinoroſiſſimos. Binam autem homini frontem (vt quondam Iano antiqui) ita Caluiniani attribuunt, vt altera ab altera δὶς διὰ πασῶν differat. Altera quippe cadaueroſa prorſus eſt facies, tota vitiis cō

ſpurcata: Altera autem eximia quædam, & ea pulchritudinis ſpecie excellens, vt penicillo exprimi nullomodo poſſit. Ea vero eſt Chriſti iuſtitia nobis (vt ipſi loquuntur)imputata,de qua ſuo loco dicetur. Nam plura nobis ſuperſunt dicenda, quam vel compendioſi huius libelli ratio,vel propoſitę quæſtionis tractatio,fortaſſe patiatur. Hoc indicaſſe veluti per tranſennam ſat fuerit. Caluinianos tam ineptè hanc falſò nobis aſcriptam, ſiue imputatam (vt illi loqui mallunt) Chriſti iuſtitiam ſuo errori prætexere,quam hæreditariam illam ſanctitatem ab Abrahamo ad omnem fidelium ſocietatem deducere tentarunt:vt ex vtraque hominē, & peccato ſemper inquinatum, & Deo eſſe gratum comprobarent.

AN Chriſti iuſtitiam ſuperabit Adami peccatum?Id quidem tertia ſua ratione illi pernegarunt:Atqui potuit in Adamo innatam gratiam, iuſtitiamque veluti proſcribere, & reipſa exterminare primum illud peccatum. An peccatū ipſum nō excutiet,an illas quaſi poſt liminio redeuntes non reducet,& re vera inſtaurabit Chriſti gratia? Inſtaurabit nimirum

etiam

etiam ſi naturæ noſtræ ſemper inſideat, illa quam concupiſcentiam vocant, imbecillitas,aut prauitas, ſi quis ita loqui velit: quæ ſi conſenſus deeſt, peccatum re vera non eſt,ſed primi illius peccati quędam velut appendix. *Nonne queadmodum per inobedientiam vnius hominis,multi peccatores ſunt conſtituti, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi*? Peccatum reipſa ab Adamo in eius poſteros propagatum eſt, nonne reipſa à Chriſto ad pios omneis iuſtitia manabit? An potuit ſerpens ęneus Chriſti typus priſtinam egrotis valetudinem reddere, Chriſtus typo deſignatus, depulſis animi morbis priſtinam integritatem non reddet? Præterea ſi iuſtitiæ noſtræ ſumma in imputatione conſiſtit, homo ex ſe nihil habet, oēs profecto ex æquo iuſti erūt: ſiquidē in ſe nihil habēt, quo alter alteri præferatur. Quomodo igitur pij à piis, vt ſtella à ſtella different? An quod huic maior, quā illi aſcribetur, aut imputabitur Chriſti iuſtitia? Si id ita habet, *quomodo iuſto præcipitur, vt iuſtificetur adhuc, & ſancto, vt ſanctificetur adhuc*? ex ſe enim nihil poſſunt. Aut quomodo iuſtitia illa maior,minorue hominibus impu-

Rom.5.
Numer.21.
Apoc. vlt.

tabitur? An dicemus, quibus grauiora, aut plura peccata remittuntur, iiſdem maiorem Chriſti gratiam, iuſtitiamque imputari: vt de illa dictum eſt, *remittuntur illi peccata multa, quia multum dilexit*. Ergo qui ſceleratiſſimi fuerunt, iidem ſi reſipiſcunt, erunt iuſtiſſimi: Qui fuerunt innocentes, iuſtiſſimi, nunquam eſſe poterunt. Sin dicemus quibus pauciora, aut leuiora peccata remittuntur, iis vberiorem Chriſti iuſtitiam aſcribi. Sanè in nobis ſitum erit, aut ſaltem collaborabimus, vt Chriſti vberior nobis imputetur iuſtitia, nempe ſi vel raro, vel leuiter duntaxat peccabimus. *Adulteri, fornicatores, fures, auari, ebrioſi, aliquando fueratis (inquit Paulus) ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Quomodo abluti erunt, vt non ſint adulteri, ſi adhuc in iiſdem ſordibus hærent? Quomodo ſanctificati, ſi manet impuritas? Quomodo iuſtificati, ſi adhuc in crimine ſunt, aut peccatis re vera purgati nõ ſunt? At Deus peccatum non imputat (inquiunt). Quid eſt peccatum non imputare, niſi remittere & condonare? Nam cui aliquid vitio non vertitur, cui in peccatum Deus non imputat (vt iſti loquun-

Luc. 7.

1. Cor. 6.

tur) ſanè quod ad id attinet, innocens eſt: hoc eſt enim peccatum non habere (inquit Auguſtinus) reum non eſſe peccati. Remiſſionem peccatorum, interpretatur Caluinus *meræ liberalitatis donum: non enim remittere dicitur creditor, qui Antapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui nulla ſolutione vltro ſua beneficentia nomen expungit.* Si nomen expunctum eſt, nō ſolum de non exigendo cautum eſt, ſed & nullum amplius extare debitum poteſt. *Ego ſum, ego ſum (inquit Deus) qui deleo iniquitates tuas propter me.* Si deletæ ſunt, prorſus euanuerunt, nullæ in poſterum extare poſſunt: Id alio loco ita explicat Caluinus. *Quod ſe iuſtitiarum (inquit) recordaturum Deus negat, vtique hoc eſt, nullam ſe earum habiturum rationem, vt remuneretur. Ergo Deo peccatorum non recordari, eſt ea nō poſtulare ad pœnam. Idipſum alibi dicitur, proiicere poſt tergum, delere inſtar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectum habere. Talibus loquendi formis non obſcurè ſenſum ſuum nobis explicat ſpirituſſanctus, ſi dociles aures illi accommodaremus. Certè ſi punit Deus peccata, imputat: ſi vindicat, recordatur: ſi ad iudicium vocat, tecta non habet: ſi examinat, poſt tergum non proiecit: ſi inſpicit, non*

Aug. lib. 1. de nupt. & concu. c. 26.
Cal. inſt. l. 3. c. 4. ſect. 25.
Eſa. 43.
d. c. 4. ſe. 26.

obliterauit inſtar nebulæ: ſi ventilat, non proie-
Auguſt. in pſal. 31. *cit in profundum maris*. Mox Auguſtinum
profert, vt ſuæ interpretationi maiorem
lucem adferat. Sed nos integrum locum
inſeremus. *Cooperta ſunt peccatta (inquit Auguſtinus) & tecta ſunt, abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Nec ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & viuant*. Huc pertinet illud
Ierem. 50. Ieremiæ. *In illa die requiretur iniquitas Iacob, & non inuenietur: peccatum Iuda, & non erit, quia propitiabor reliquiis quas ſeruauero*. Au-
Amb in c. 4. ad rom. guſtino aſſentitur Ambroſius. *Remittere & tegere, & non imputare (inquit) vna ratio, & vnus ſenſus eſt*. Et paulò poſt. *Vnius tamen ſignificationis ſunt verba: quia & quum tegit Deus peccata, remittit: & quum remittit, non imputat*. Quemadmodum enim cui aliquid imputatur ad iuſtitiam, is hoc nomine iuſtificatus dicitur: ſic cui peccatum non imputatur, eidem remiſſum eſſe ſignificatur. Sic Abrahamo
Gene. 15. fidem ad iuſtitiam reputatam ſcribit Mo-
Rom. 4. 5. ſes. Quod Paulus Abrahamum fide iuſtificatum interpretatur: opponit enim hæc inter ſe, iuſtificari inquam fide, &

iuſtificari ex operibus. Sic Plaſmographus *beatos vocat, quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Beatum item eum cui dominus peccatum non imputauit*, id eſt, remiſit: quæ tria idem ſignificant, quemadmodum ex Ambroſio & Auguſtino docuimus. Si ergo peccata tecta ſunt, & non imputantur, condonata ſunt: nulla prorſus ſunt: iam non viuunt, ſed funditus abolita perierunt. Et ſi Deus peccata condonat, lege nos penitus abſoluit: ſi abſoluti ſumus, quomodo peccata adhuc manebunt? Nam ſi de priuatis, ſiue ſingularibus peccatis loquuntur, aut actum ipſum, aut culpam intelligunt. Actus, vt adulterium, furtum, & cætera id genus, præteriit, culpa condonata eſt. Quid igitur reliquum eſſe poteſt? Si de peccato originis interpretantur, eius quoque culpa baptiſmo condonatur, actus ſiue actio ad primum parentem refertur. Sin prauitatem neſcio quam peccatis natura inſitam relinqui ſomniant, qua ſcriptura, aut ratione id probabunt? Paulum fortaſſe proferent, aientem aliam ſe ſentire legem in membris ſuis repugnantem *Pſal.31.*

legi mentis ſuæ, ipſumque captiuum reddentem legi peccati, quæ membris eius inſidet. Sed quæ de concupiſcentia ſupra diſputata ſunt, illis abundè ſatisfecerint. Eadem enim quæ ex ſingularibus peccatis reliquiæ adhuc hærere dicuntur, regula ſunt metiendæ. Noſtri igitur gratiam, peccatumque ſibi inuicem ſuccedere, nec vnquam vnà coïre pronuntiant. *Quid enim luci cum tenebris* (inquit Paulus) *quid iuſtitiæ cum iniuſtitia, quid Chriſto cum Satana, commune aliquando eſſe poteſt?* Nonne exit à Saule Domini ſpiritus, antequam malus genius intromittatur? Nonne Paulus iubet veterem hominem exuere, vt induatur nouus? Quid eſt vetus homo, niſi inueteratæ, homínémque inficientes peccati ſordes? Nouus, niſi purgati animi diuinæ gratiæ beneficio accedens puritas, ſplendor, atque illuſtratio? Hi nunquam vna coïre poſſunt: alter alteri cædat neceſſe eſt. Quemadmodum diuino ſpiritu inſtinctus, Caluinianóſque iam tum velut intuens, ſumma contentione proteſtatur Hieronymus. *Audiant nos* (inquit) *iterum proclamantes, vete-*

2. Cor. 6.
1. Reg. 16.
Epheſ. 5.
Hier. Apol. aduerſ. ruff. li. 1. in fine.

rem Adam in lauacro totum mori, & nouum cum Chriſto in baptiſmate ſuſcitari, perire choicum id eſt terrenum, & naſci ſupercœleſtem. Sed & hic tam perplexus eſt, obſcuruſque Caluinus, vt aut pugnantia miſcere, aut alioqui intelligi non poſſe videatur. Aliquando enim ita ſcribit. *Infantes quoque ipſi ſecum ſuam damnationem à matris vtero afferunt, qui tametſi ſuæ iniquitatis fructus nondum protulerunt, habent tamen in ſe incluſum ſemen, imò tota eorum natura quoddam eſt peccati ſemen: ideò non odioſa, & abominabilis Deo eſſe non poteſt. Hanc damnationem ſublatam eſſe & à ſe depulſam certi per baptiſmum fideles fiunt*. Et paulò poſt. *Iuſtitiam quoque apprehendunt, ſed qualem in hac vita populus Dei obtinere poteſt. Nempe imputatione duntaxat, quia pro iuſtis, & innocentibus eos ſua miſericordia Dominus habet*. At alio loco aliud indicat, *vniuerſam eccleſiam (inquit) complectitur Paulus, vbi dicit mundatam lauacro aquæ: idcircóque in eccleſia infantes comprehendi palam eſt*. Animaduertitis vt illic damnationem duntaxa, baptiſmo ſublatam eſſe ſcribat, nec tamen infantes eſſe iuſtos, ſed pro iuſtis ſolum haberi. Hîc eoſdem mundari a-

Cal.inſt.l 4 c.15 ſect.10.

Cal inſt l.4 c.16.ſect.12

quæ lauacro apertè dicat. Sed cum vna tantum macula inficiãtur infantes, nempe originis peccato, hac abluta, quomodo peccatum originis adhuc manet? Sanè manere non poteſt, ſaltem vt rationem peccati obtineat: alioqui nec ipſum peccatum, imò nec aliud quicquam elueretur, ſed quæ peccatum conſequitur, damnatio duntaxat auferretur. Atqui eos qui ſanctificantur, non quales prius erant relinqui, ſed ex vitiis, in melius quiddam,
Cal. inſt. l. 3. c. 11. ſect. 6. 11. perfectiuſque mutari: ſanctificationémque adeò affectionem, aut qualitatem inhærentem (vt loquuntur) eſſe idem aſſerit. Iuſtificationem ſiquidem à ſanctificatione ita diſtinguit Caluinus, vt iuſtificatio imputatione, ſanctificatio renouatione, atque immutatione, vtraque verò ſimul, eodemque tempore neceſſario cõparetur, nec altera ab altera ſeparari vnquã poſſit. Si igitur iuſtificantur ſimul, & ſanctificãtur infantes, iiſdẽ nõ ſolũ vt imputetur quippiã, ſed & immutetur neceſſe eſt. Quod autem immutetur, niſi naturæ inſita illa prauitas, quam peccatum originis vocant, excogitari nihil poteſt. Id itaque vt eluatur, atque baptiſmo expie-

tur,neceſſe eſt. Sed nec Caluino præceptore,diſcipul⁹ Beza minus obſcurus eſt, imò verò fortaſſe magis intricatus. Vbi enim confeſſus eſt baptiſmũ,lauacrũ eſſe regenerationis,qua Chriſtum induimus, aut Chriſto inſerimur, & conſepelimur, mox ſeſe explicat,ac ſubdit: *Sicut toties dicimur Chriſtum apprehendere, quoties illum in verbo oblatum amplectimur, & corporis & ſanguinis fieri participes, quoties ſacrum illum panem fide ſumimus,& ex ſacro illo poculo fide bibimus: Quatenus videlicet illis mediis magis, ac magis in dies Chriſto vnimur,& arctius cum illo coaleſcentes omnia eius beneficia quotidie in nobis obſignantur. Ita etiam accipiendum tradimus,quod dicimur in baptiſmoChriſtum induere, Chriſto inſeri,& conſepeliri,in eo ablui, ac regenerari. Dicimus enim oportere nos in fœdere comprehendi,ac proinde in Chriſti poſſeßione eſſe priuſquam baptiſemur, neque gratiam adoptionis à baptiſmo inchoamus(inquit)ſed per eum potius dicimus obſignari.*Et paulò poſt.*Sicut prius ſcribi oportet diploma quàm ſigillum apponatur, ita oportet nos inChriſto eſſe priuſquam baptizemur, ac proinde nos tum primum non inſeri quum baptizamur, ſed baptiſmo noſtram in eum inſitionem obſignari.*Si antè baptiſmum in Chri-

Beza de aſperſionibus quib⁹ aſperſus eſt Caluinus in 7. errore.

ſti poſſeſſione ſumus,&adoptionis gratiã conſequimur,quomodo infantes verè in peccatorum remiſſionem tinguntur, aut in iiſdem regeneratione mundatur quod generatione traxerunt?vt mox ex concilio Mileuitano docebimus, quod concilium eccleſiæ ſententiam,doctrinámque complecti etiam Caluinus confitetur. Quomodo(vt ſupra expoſuimus) infidelium,hæreticorúmque tingerentur infantes, quibus vi fœderis ſuccedentẽ ex parentum fide ſanctitatem ,aut aliunde manantem,ne Caluiniani quidem affingere audebunt? Si enim in eccleſiæ communione non ſunt,neque in Abrahami fœdere numerari poſſunt: quod iiſdẽ cum eccleſia finibus circunſcribitur.Quomodo vt ſcribit Hieronymus, *Vetus Adam in lauacro totus moritur,nouus cum Chriſto in baptiſmo ſuſcitatur? Quomodo perit terrenus, & naſcitur ſupercœleſtis*? Si enim ante baptiſmum in poſſeſſione Chriſti ſunt infantes, peccato originis, quod mortem parit, infecti eſſe, ac proinde verè in peccatorum remiſſionem tingi non poſſunt,neque in illis regeneratione mundatur, quod generatione traxerunt. Nam quæ in iis qui

Cal.inſt. li. 4.c.19.ſect. 8.

Chriſti ſunt, immunditia, aut peccatum eſſe poteſt? ſi immundi ſunt, iam non Chriſti, ſed ſatanæ ſunt. Addēdum quod & ante baptiſmum, non in baptiſmo vetus homo moreretur, antè baptiſmum natus eſſet, ſupercœleſtis, non in baptiſmo naſceretur (vt vult Hieronymus) niſi vtrũque ſimul, eodem tempore, eidem homini ineſſe fateri volumus, quod fieri non poſſe docuimus. Quid autem aliud eſt vetus homo quàm naturę inſita, aut ſponte contracta labes? nouus, quam vi ſpiritus ſancti facta renouatio, hominem ſanctificans, ac Chriſto vniens? Nónne Paulus baptiſmum *vocat lauacrum regenerationis, ac renouationis ſpiritus ſancti quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Baptiſmum lauacrum regenerationis, ac renouationis diſertè appellat. Si autē obſignationem regenerationis, aut renouationis, aut adoptionis, ſiue in Chriſtum inſitionis quis interpretetur, Pauli verba nimirum, ſenſúmque inuertit, ac malignè peruertit. Nã ſi baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & renouationis, baptiſmo regenera- *ad Tit. 3.*

mur, & renouamur. Quomodo autem regeneramur, niſi quum ex corrupta genitura, in incorruptam, purámque renaſcimur? Quomodo renouamur, niſi cum ex iniuſtis iuſti, ex pollutis ſancti euadimus, & in Dei gratiam recipimur? Præterea ſi ita eſſet, ſi baptiſmus, noſtræ adoptionis aut in Chriſtum inſitionis obſignatio duntaxat eſſet, nónne meritò obiecit Heshuſius ex Caluini, Caluinianorúmque doctrina, nos baptiſmo non regenerari, ſed ſalutem noſtram duntaxat obſignari, ac proinde ſacramenta nuda eſſe collatæ iam gratiæ ſigna, quod mox ſuo loco tractabitur. Quæ igitur noua iſthæc eſt philoſophandi, aut ſacras literas interpretandi ratio, quam Caluiniani nobis obtrudunt? homini peccatum, gratiámque ſimul ineſſe, hoc eſt, noctem eſſe diem, & diem noctem, lucem eſſe tenebras, & tenebras lucem: hoc eſt gratiam eſſe peccatum, & peccatum eſſe gratiam. Aut nónne iſtud eſt, ex peccato gratiam, ex gratia conficere peccatum? Peccati ſemper mors comes: quiſquis peccato infectus eſt, Satanæ membrum eſt (vt loquitur Paulus): quiſquis in Dei gratiã eſt

receptus, Dei quoque eſt membrum. Si infantuli in matrũ vteris ſanctificati ſunt, membra Dei ſunt. Si iidem peccato originis ſunt inquinati, membra Dei eſſe nõ poſſunt: iidem igitur membra Dei ſunt, & non ſunt: iidem ſi ſic moriũtur, ad cœlum, ſanctáſque beatorum animorum ſedes euolabunt: iidem quoque cœlo excludẽtur, quò peccatum penetrare nunquam poteſt. Quæ nemo præter Caluinianos, niſi ſacrarum literarum ignarus, niſi philoſophiæ, niſi ſenſus communis expers, niſi prorſus inſanus admiſerit. Quid enim aliud iſtud eſt, quam cœlum terræ, cœleſtia prophanis, inania miſcere veris? At quantò ſatius fuerat, peccatum originis cum Pelagianis ſimpliciter negare, quàm commentitiam iſtam ſanctificationem, tanquam inanem neſcio quã ideã, quæ mente concipi, re nec apprehendi, nec eſſe poteſt, pretexere, quam ſeſe mox in tantos abſurditatum, errorúmque coniicere labyrinthos.

Tertia Catholicorũ obiectio aduerſus Caluinianorum ſanctificationẽ.

TERTIO hæreditariæ Caluinianorũ ſanctificationi Ioannem opponimus. Is enim iſta ſcribit. *niſi quis renatus fuerit ex*

Ioan. 3. *aqua & ſpiritu, nō poteſt introire in regnū Dei.* Quem locum eccleſiaſtici ſcriptores de baptiſmo interpretantur, præſertim verò Auguſtinus. & inde infantes pueros, ſi nondum tincti moriuntur, cœleſtis vitæ (vt aiunt) hoc eſt ſummi boni fruitione priuatum iri colligit. Cuius duram, immitémque ſententiam ab aliis vel temperatam, vel emendatam Caluiniani aſſerunt, eóque nomine limbum, theologorum commentum ſcilicet fuiſſe inuectū: quamuis ſeipſum ſatis interpretetur Auguſtinus, nec eadem infantium, qui ſine baptiſmo, & eorum qui prouectiore ætate priuatis vitiis inquinati vita functi ſunt, ſortem eſſe teſtetur. Cum illis quippe qui nō ſua, ſed naturæ ſuæ culpa, ſummo bono priuantur, mitius: cum iſtis qui pro ſcelerum ſuorum magnitudine mulctantur, ſeuerius agi. Quemadmodum etiam ęquus iudex in eum qui imprudēs hominem occiderit, leuiter, in eum qui prudens, volénſque, grauiter & ſummo iure animaduertere conſueuit. Imò verò idem dubitat an ſupplicia quædam infantes ſubeant, & an illis prorſus non natos, quàm in eam ſortem fuiſſe natos ex-

pediat. Quod verò animam è corpore migrantem,aut ſtatim in cœlum ad Chriſtum euolare, aut in ſatanæ baratrum detrudi Caluiniani putant, tertium locum extare, aut reperiri negant, paucis id explicari non poteſt,& propriam tractationem exigit : idcircò in diſputationem de purgatorio igne(vt vocant) reiiciendum puto. Illud tamen interim ab illis quæram, vbinam locorum κόλπον id eſt,ſinum Abrahami(vt vocat Lucas)collocent? vbi hominis ab Elizeo excitati animam tantiſper dum à corpore ſeparata fuit,ſubſtitiſſe exiſtimēt? Vbi animā Lazari toto qua triduo delituiſſe credāt? Vnde prodierint animæ illorū qui poſt Chriſti mortē è ſepulchris egreſſi, atq; Hieroſolimā profecti,ſeſe multis conſpiciendos præbuerūt: quo item ſe receperint,aut vbi habitarint quadraginta illis diebus quibus Chriſtus cum diſcipulis commoratus,certa ſuę reſurrectionis argumenta exhibuit, & altiora doctrinæ ſuæ arcana detexit? Neque enim ante Chriſtum *qui primus ex reſurrectione mortuorum*, *aſcendit in altum*, *& captiuam duxit captiuitatem* (vt inquit Paulus) aſcendere potuerunt,vt Ambroſius, HieronymusAuguſtinus,Chryſoſtomus,

Epheſ.4. et idem Ambroſius.
Hier.in epitaphio Nepotiani.
Idē ad dardanū & in c.9.eccleſiaſtæ. Chryſ. hom. de diuite,in c.16 Lucæ & homil.4. in Marcum.

cæteríque eccleſiaſtici ſcriptores tradiderunt: quod etiam Chriſti ad inferos deſcenſus, vti ab vniuerſa eccleſia receptus eſt, ſatis confirmat. Nam toto illo triduo, quo Chriſti corpus in ſepulchro iacuit, vbi ſubſtitit Chriſti anima? in cœlo non habitauit: Chriſtus enim quadrageſimo die à morte, in cœlum aſcendit: ad gehennam ſiue inferos inferiores, & impiorum ſuppliciis deſtinatos locos nõ deſcẽdit: quid enim Chriſto cum impiis? Supereſt vt tertio quodam loco conſtitiſſe intelligamus, quem vel ſinum Abrahami vel limbum, vel alio nomine appelles licet: locum vbi pij partes ante Chriſtum mortui conquieſcebant, poſt Petrum eccleſiæ cõſenſus interpretatur, ſic enim ſcribit Petrus. ὅτι καὶ χριστὸς ἅπαξ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἔπαθεν, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ θεῷ, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν.

Præterea ait latroni Chriſtus, hodie mecum eris in paradiſo, cœlum intelligere nõ potuit, illuc enim quadrageſimo poſt die aſcendit, nec magis gehennã, id eſt, æternorum ſuppliciorum locum, vt cum

ſcriptura

ſcriptura hanc dictionem vſurpemus, ter
tium igitur locũ eſſe oportuit. Addamus *Act. 9.*
Tabitam à Petro ad vitam reuocatam.
Certè in altero locorum illorum vel hãc
vel illos Caluiniani collocare non poſ-
ſunt. Duas duntaxat vias nobis propo-
nunt, dextram, & ſiniſtram: dextram piis
ſiniſtram impiis attribuunt. *Atqui ante* *Hier in epitaphio nepotiani.*
Chriſtum Abraham apud inferos (inquit Hie-
ronymus) *poſt Chriſtum Latro in Paradiſo.*
Quod iiſdem fere verbis pronũtiat Chry
ſoſtomus. *Ante aduentum ſaluatoris, &*
euangelij claritatem, antequam Chriſtus aperiret *Chry. hom. 4. in Marcum.*
paradiſi ianuam, cum latrone omneis ſanctorũ
animæ ad inferos deducebantur. Denique dicit
Iacob gemens & lugens, deſcendam ad inferos.
Si Abrahãm ad inferos, quis non ad inferos? In
lege Abraham apud inferos, in Euangelio latro
in paradiſo: non detrahimus Abrahæ, in cuius
ſinu omneis conquieſcere cupimus: Sed Chriſtum
præferimus Abrahæ, Euangelium legi præferi-
mus. An vero hos Abrahami inferos in ſi-
niſtram reiicient? An ſanctũ patriarcham
in impiorum ordinem referent? Quæ
eſt autem dextra via, niſi ea quæ nos ad *Pſal. 26. verſ. 13.*
terram viuentium (ſic enim in ſacris li-
teris nonnunquam appellatur) hoc eſt,

ad cœleſtem illam Hieruſalem deducit? De qua ſic idem ſcribit Hieronymus. *Hæc eſt terra viuentium in qua ſanctis viris, atque manſuetis bona Domini præparantur, quam ante aduentum in carne Domini ſaluatoris, nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec Prophetæ, & alij iuſti viri conſequi potuerunt. Denique & Abraham (licet diuerſis locis) cum Lazaro videtur apud inferos.* Sanè eoſdem Abrahami, impiorúmque inferos nemo dixerit. Nec obeſt illud Auguſtini (vt fertur) quod à multis detruncatum, mutilúmque proponitur. *Primum enim locum (inquit) fides Catholicorum diuina authoritate regnum credit eſſe cœlorum, vnde (vt dixi) nō baptizatus excipitur. Secundum gehennam vbi omnis apoſtata, vel à Chriſti fide alienus, æterna ſupplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec eſſe in ſcripturis ſanctis inueniemus.* Nam & hos libros Germanos Auguſtini non eſſe, viri docti annotarunt, quorum cenſuram ſequutus eſt Caluinus. Et de locis ſcriptor ille (quiſquis is fuerit) loquitur, in quibus perpetua, æternáque erit habitatio, vt ea periodo quę p̄cedit, apertè declarat: quū ait. *Da mihi præter hunc alterū locum, vbi vitæ poſſit requies eſſe perennis.* Mox ſtatim ſub-

Hier epiſt. ad dardanū

Aug. lib. 5 hypognoſt.

Cal in li. 3. pighij de li. arbitr.

dit quæ ſupra inſeruimus. At in purgatorio (vt loquuntur) perpetua habitatio non eſt, ſed purgatos regnum cœleſte ſemper excipit. Addendum & illud. inferorum nomine, omnẽ locum inferiorẽ, præſertim infra cęlũ qui cœleſti habitationi opponitur, ac limbũ (ſi ita appellari placet) hoc eſt, locum in quo patriarche ante Chriſtum commorati ſunt, & infantes ante baptiſmum mortui conquieſcunt, & loca impiis deſtinata poſſe comprehendi. Quemadmodum enim Abrahamus, & Lazarus, vtérque è beatorum numero, apud inferos, licet diuerſis locis, eſſe dicuntur, vt ſupra ex Hieronymo annotauimus. (quanquam Lazarum pro diuite ſuppoſitum coniicere quis poteſt) Sic infantuli ante baptiſmum ſuſceptum mortui, & impij apud inferos, licet diuerſis locis eſſe dicentur, vel potius, quemadmodum patriarchæ ante Chriſtum, impiique apud inferos licet diuerſis locis eſſe dicti ſunt: Sic mortuos ante baptiſmum infantulos, impióſque apud inferos eſſe, licet diuerſis locis, dicere poſſumus. Vt etiam docet in hæc verba Hieronymus, *Vnde & Abraham licet in loco*

Hier. de obitu Bleſillæ

refrigerij,tamen apud inferos,cum Lazaro fuiſſe ſcribitur. At dubitat Auguſtinus an Abrahami ſinus, in quo Lazarus cũ Abrahamo conquieſcebat, ad paradiſum,an verò ad inferos pertinere ſit exiſtimandus. Quod ſi ad inferos pertinet,ſanè ad illos, in quibus impij cruciantur,non pertinet.

Aug epiſt. 57. ad dardanũ et 99 ad Euodiũ & lib. 12. c. 33. de Gen. ad literam.

Tertiũ itaq; locũ aut eſſe cenſuit Auguſtinus,aut an eſſet dubitauit : dubitauit (inquã) an inferorũ multiplex cõditio exiſtimari debeat,hoc eſt,an inferorũ nomine Abrahami ſinũ intelligere debeamus, & gehennã,vt vulgò diuerſas has habitationes diſtinguere, & appellare cõſueuerũt. Quãquam inferorum nomen in bonam partem acceptum in ſacris literis ſe deprehendiſſe inficiatur. Et idcirco nhil ea in re definire audet. Hac tamen fortaſſe ratione hos locos Pſaltes nunc infernũ, aut inferos ſimpliciter, nũc infernũ inferiorẽ vocat,innuẽs ſcilicet inferorũ non vnã eſſe habitationẽ,atq; conditionẽ,ſed plures multũ inter ſe diſcrepãtes. Quam diſtinctionẽ quondã animaduertit,ſed in aliũ,& ab vniuerſæ eccleſiæ cõſenſu alienũ ſenſũ traxit Origenes. Sed traditionibus Hebraicis duo animarũ receptacula,

Pſal. 20. et aliis plerſq;. Pſal. 86. verſ. 13. Pſal. 88. verſ. 7.

Origen lib. 4. Periar. c. 9.

vel deſtinatas animis ſedes fuiſſe proditum eſt: piarum ſedes, inferi ſuperiores, impiarum inferi inferiores dicebantur. Neque enim hinc animas in cœlum euolare Iudæi exiſtimabant. Idcircò Chryſoſtomus ante Nicodemi interrogationem, quæ tertio Ioannnis capite deſcribitur, regni celeſtis nomen ab illis negat auditum, quod fortaſſe nullum in cœlum aditum ante ſui Meſſiæ aduentum ſibi pollicerentur: alioqui eam piis ſedem deſtinatam arbitrantes, aut quomodo ſpiritales legis promiſſiones fide amplexi fuiſſent? Hinc etiam Hanochum, atque Eliam in cælum raptos, quod perchari Deo fuiſſent, in veteri inſtrumento legimus. Quæ duo exempla Iudæis propoſuit Deus, vel ne terræ affixi, humilia duntaxat & abiecta cogitarent, vel vt eandem ſedem, ſi eandem quam ſancti illi viri, pietatem exercerent, ſibi paratam eſſe ſperarent. Quinetiam alio loco neminem ante latronem paradiſi promiſſionem accepiſſe ſcribit idem Chryſoſtomus, non Dauidem, non Moſem, nec ipſum quidem Abrahamum, niſi ſola fide. Nam reipſa hinc ad locum, qui ab

Hieron. ad Auitũ quid cauendũ in libris periar. Petr. Galatanus l. 6. de arcanis Catholicæ ver. c. 9.

Chry. hom. 23. in c. 2. & 3. Ioan.

Gen. 4. c. 4. Reg. 2. b Heb. 11. a

Chry. homi. de cruce, & Latrone.

illo Abrahami ſinus dicitur, & inferis aſcribitur, demigrauit. Quid? quod Adamum tertio quodam inferorum loco, (nam Abrahami ſinum ſecretæ cuiuſdem quietis habitationem eſſe putat) inferni doloribus Chriſti interuentu ſolutum traditione eccleſiaſtica proditum eſſe ſcribit Auguſtinus: cui fidem adhibendam eſſe cenſet. Et ſi ea nullo ſacræ ſcripturæ loco diſertè confirmatur, niſi hunc tertium locum, eundem cum Abrahami ſinu exiſtimare volumus. Vt ſub huius tertij loci, aut ſinus nomine etiam purgatorium (vt vulgò appellatur) complecti fortaſſe poſſimus: qui locus ea traditione eccleſiaſtica, quam commemorat Auguſtinus, ſignificatus videtur. Nam ſi eorum qui ſub veteri lege vixerunt, alij erant in loco refrigerij, hoc eſt ſinu Abrahami, quemadmodum Abrahamus & Lazarus, alij in loco cruciatus ad certum tempus pręſcripti, quemadmodum Adamus, qui etſi cruciabatur, inter ſelectos nihilominus connumerabatur: alij perpetuo gehennæ ſupplicio addicti erant, quemadmodum Choræ, Dathan, & Abiron, tres nimirum inferorum cõditiones

Aug. epiſt. 99. ad Euodium.

fuerunt. Quanquam refragari videtur Auguſtinus, qui vt inferos ſuppliciorum locos eſſe, nec in bonam partem hanc dictionem in ſacris literis accipi exiſtimat, ſic eorum partem aſſerere Abrahami ſinum non audet, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, magnæ fœlicitatis locum. At contra Hieronymus. *Ante aduentum Chriſti, quanuis ſanctos, omneis inferni lege detentos fuiſſe ſcribit*, Licet idem Lazum in ſinu Abrahami, locóque refrigerij fuiſſe fateatur. Cui aſſentitur Ambroſius. *Sicut legitur de Abrahã (inquit) quia quãuis apud inferos fuerit, diſcretus tamen longo interuallo eſt, ita vt Chaos eſſet ingens, inter iuſtos, & peccatores.* Et alio loco, *Dominus deſcendit in infernum, vt & illi qui in infernis erant, à perpetuis vinculis ſoluerentur.* Vt inferorũ nomine etiam Abrahami ſinũ intelligere, & inferos in bonã partem accipere aliquando debeamus. Non proferam permultos locos, quibus vti ſolent, qui purgatorij (vt vocatur) tuendam cauſam ſuſceperunt, vel quod ab aliis, inuenta repetere, ac mihi vendicare nolim: vel quod integram de Purgatorio diſputationem breui commentario concludendam non putem. Quærat ab

Ambr. in c.5. ad Ro.

Idem Ambro. in Pſal. 43. & de myſter. paſchæ. c.4.

illis, qui plura flagitat. Ego ſanè operæpretium feciſſe mihi videbor, ſi (quod huius quæſtionis proprium eſt) non ſolum duas, ſed plures inde migrantibus vias proponi conuicero. Quî igitur tam confidẽter Caluiniani duas duntaxat nobis proponunt? dextram, quæ in cœlum nos euehat, ſiniſtram quæ in gehennam præcipitet, quum hic tanta cum cautione loquatur, nihílque affirmare audeat Auguſtinus? Et Hieronymus apertè diuerſas inferorum habitationes, indicet, conditione prorſus diſcrepantes, omnibúſque perſpicuum ſit, Abrahami ſinum, à gehenna eſſe diuerſum. Nec me præterit ſcriptorem illum, cui hypognoſticωn libri tribuuntur gehennæ, non inferorum nomine fuiſſe vſum. Sed etiam an ante baptiſmum, infantes mortui crucientur, dubitat Auguſtinus. Et alioqui eoſdẽ ſi non illato ſupplicio, at quod plena diuinæ fœlicitatis luce non fruuntur, cruciari par eſt. Gehennæ autem nomine nihil aliud, quã ſupplicij, cruciatúſq; locũ intelligimus. Poſtremò ignoti ſcriptoris tanti nõ eſt authoritas, vt illi deferre multum debeamus. Quid ſi locum non defi-

nio, mihique ſatis ſit illud, infantulos ante baptiſmum ſuſceptum mortuos peccato originis deprimente, in cœlum aſcendere, ac recipi nō poſſe, nec iiſdem ſupplicijs, quibus impij cruciantur, affligi? Limbum appelles, aut aliud nomen reperias licet, nihil mea intereſt, modo vtrorúmque diuerſa eſſe conditio intelligatur. Quanquam ſi iiſdem rationibus, quibus Caluinus impiorum prædeſtinationem tuetur, vti volumus, Limbo aliquo, vt Caluiniani temere obiiciunt, quo Auguſtini ſententiam ſarctamtectam conſeruemus, nobis opus non eſt. Quamobrem Caluinianis noſtro more Caluinum opponamus. Si quis quærat cur impios in certum interitum, ſempiternáque ſupplicia deſtinet, aut prædeſtinet Deus, reſpondet Auguſtini verbis Caluinus, *id in Dei voluntate poſitum eſſe: hoc eſt, id Deum feciſſe, quia voluit: quod ſi vltra pergas, rogando cur voluerit, maius aliquid quæris (inquit) & ſublimius Dei voluntate, quod inueniri non poteſt. Compeſcat ergo ſe humana temeritas: Et quod non eſt, ne quærat, ne forte quod eſt, non inueniat.* Hæc enim Caluini verba ſunt. Si quis igitur Auguſtini ſententiam quaſi immi-

Cal. inſt l 3. c 23. ſect. 1. 3. 4. & 6. Aug. l. 1. de geneſ. contra manich. c. 3.

tem, aut crudelem fortaſſe reprehendat, ac damnet, non deerit quod reſpondeamus. Sacras enim literas primam noſtræ doctrinæ eſſe regulam fatebimur. Nimiæ temeritatis, arrogantię́q; eſſe, plura quam illæ promittant, polliceri: quid verò illæ decernunt: nemini, niſi ex aqua & ſpiritu ſancto renatus fuerit, in Dei regnum aditum patere, hoc eſt, neminem, niſi is fuerit tinctus, diuinæ maieſtatis contemplatione, præſentia, benignitate fruiturum. An aliquid ſupra ſcripturam, aut contra ſcripturam audebimus? Ad quam toties nos reuocant, & prouocant, non ſolum Caluiniani, ſed omneis hæretici. Si toties ad ſcripturam prouocant, nóſque reuocant, permittant tandem nos intra ſcripturæ cancellos conſiſtere, neque vltra progredi importunè cogant. Tum verò ab Auguſtino ſtat Caluinus, aut ſaltem Caluinianæ ſupra commemoratæ rationes: quæ nobis etiam, ſi alioqui hæreremus, manum porrigunt, quidque Auguſtini Calumniatoribus reſpõdendum ſit, edocent. Si quis enim roget, cur infantuli, ante baptiſmum ſuſceptum mortui, ſperanda felicitate priuantur. Peccatum

originis in cauſa eſſe dicemus, quod ſolo baptiſmo, aut iis actionibus, quæ baptiſmi vicem implent (vti mox docebimus) aboleri poteſt. Nihil autem huiuſmodi in infantulis reperire eſt. Parentum porrò ſanctificationem hæreditariam non eſſe oſtendimus, idcircóque fidelium, infideliúmque liberos ex æquo peccato originis naſci inquinatos, quod multis locis fatetur Auguſtinus. Si quis aut nimis ſeueram, aut iniquam fortaſſe ſententiam hanc eſſe excipiat, vt quis non ſui, ſed alieni peccati, tam graueis pœnas luat, ideóque ſummi boni fruendi ſpe excidat, ex præſcriptis Caluini verbis reſpondebimus, Deum prædeſtinaſſe, vt ante ſuſceptam baptiſmi initiationem, vt hac ætate momentóque moreretur. Vitam enim & mortem diuinæ voluntatis eſſe actiones, potiuſquam præſcientiæ cum Valla aſſerit Caluinus, nec alia ratione Deum, quæ futura ſunt præuidere, niſi quia ita vt fierent, decreuit: idcirco autem decreuiſſe, quia voluit. Quod quoniam inuolutum eſt, & explicatione indiget, à propoſita quæſtione nonnihil digrediemur, & paucis prædeſtinationis na

Augu. l. 2. de peccat origi. cõt. Pelag. et Cæleſt. 39. & ſequent.

Cal inſt. l. 2 c. 1. ſect. 7. et lib 4. c. 16. ſect. 31.

Petrus martyr. in c. 7. 1. corint.

Cal. inſt l. 3. c. 23 ſect. 6. & 7.

turam perſtringentes, Caluini rationes expendemus, mox ad Auguſtini ſententiam redibimus.

Nos itaque contrariam ſententiam probamus, hoc eſt, Dei decretū ſiue prædeſtinationem diuinæ præſcientiæ eſſe cauſam negamus. Negamus ideò duntaxat Deum omnia præuidere, quod ita vt fierent, decreuit, vt temere aſſerit Caluinus. Alioqui fatalis quædam in rebus omnibus inueheretur neceſſitas. Nec dico fatalem, qualem Stoici, ex connexione cauſarum ſibi mutuò neceſſitate quadam ſuccedentium, ſed fatalem neceſſitatem appello, quæ ita æterno Dei decreto inſtituta eſt, vt aliter euenire non poſſit: quam etiam Caluinus, Caluinianíque admittunt. Rectene, an ſecus, paucis interiectis mox videbimus. Quamuis enim in cauſis intermediis, quod ad hominem attinet, Caluiniani cum Stocis non conueniant, tamen in iiſdem cauſis, quod ad Deum attinet, & in ſcopo, hoc eſt, euentum neceſſitate conſentiunt, omniáque neceſſario fieri contendunt. Sed nec cauſę intermediæ fortuitò ſiue contingenter (vt loquuntur) agerent, vel non agerent, quod

Cal. inſt. l. 1. c. 19. ſect. 8.

tamen admittit Beza, & natura contingentes eſſe,& debere dici fatetur, vt ante Bezam Caluinus quoque ſcripſit. Nam ſi ideò omnia præuidet Deus, quod ita vt fierent decreuit,nihil certè præuidet, aut præſcit Deus,niſi quod decreuit. Omnia autem quæ fuerunt, ſunt,& erunt,præuidit, ac præſciuit Deus ante mundi conſtitutionem, & ab æterno (vt loquuntur.) Omnia ergo tanto ante decreuit. Si omnia tanto ante decreuit, & quicquid ille decreuit, neceſſariò fit, omnia profectò neceſſariò fiunt. Neque in rerum natura fortuitum aliquid,vel contingens (vt vocant) aut fuit, aut eſſe poteſt. Videat igitur Beza (ſi Caluini præceptoris doctrinam tueri volet) quî cauſas intermedias contingentes eſſe, aut contingenter agere poſſe fateatur. Nam aut à Deo decretæ ſunt,ſiue prędeſtinatæ,aut non decretæ: ſi decretæ,neceſſariò eueniunt:ſi non decretæ, quædam igitur præuidet Deus, quæ non decreuit. Et proinde non ideo præuidet,quia ita vt fierent, decreuit:niſi forte hic Dei pręſcientiam Beza inficiari volet. Hinc totam Caluini, Caluinianorumque de Prædeſtinatione doctrinam

Beza de abſterſionib. in primo errore cal. inſt. l. 1. c. 16. ſect. 9.

metiri, quamque & à ſacrarum litera-
rum veritate,& ab omni naturali ratione
ſit aliena,iudicare poſſumus:qui ne in ne
gotiis quidem ciuilibus, domeſticis, aut
ludicris(ſi eorundem rationes tueri volu-
mus)nobis arbitrij libertatem relinquũt:
quaſi verò nemo pedem, digitúmq; mo-
ueat,quicquámve cõtineatur inſi ex Dei
præſcripto,atq; æterna prędeſtinatione.

INDE autem potiſſimum hic manaſſe
error mihi videtur,quod falſum axioma
ſibi conſtituit Caluinus,vt omnia fieri ne
ceſſario,contingenter (ſic enim loqui co
gimur) nihil euenire confirmet: Deum
ſcilicet, non alia ratione quę futura ſunt,
præuidere, niſi quia ita vt fierent,decre-
uit.Neq; verò id ex ſe cõmẽtus eſt,aut ex
cogitauit,ſed ex quo fonte hauſerit,haud
obſcurũ eſt:Stoicorum dogma fuiſſe ſcri-
Cice.li. 2.de diuinatione. bit Tullius,Deos non poſſe ignorare quę
ab iis ſunt cõſtituta.En quos iſte præclarę
Tertull. aduerſus Hermogenẽ, & li.de anima. ſuæ theologiæ authores habet,nẽpe phi-
loſophos,hæreticorũ patriarchas(quo elo
gio à claſſicis ſacrarũ literarum interpreti
bus inſigniuntur) & eos quidem qui me-
rito tum à cœteris philoſophis, tum à re-
rum publicarum principibus, multò ve-

rò magis ab omnibus Chriſtianę religio- nis profeſſoribus propter ſua paradoxa reiecti ſunt. Adhæc pro confeſſo ſumit, quod probandum maximè fuit: vitium id dialectici vulgo principij petitionem appellant. Nam quum omnium confeſſione palam ſit, Deum omnia præuidere, neque hæreticorum quiſquam tam inſanus aliquando fuerit, qui præſcientiam illi auferre ſit auſus: *Et qui præſcientiam illi aufert (inquit Hieronymus) aufert & diuinitatem*. Si pro confeſſo etiam quis ſumat, ideo præuidere, quia ita vt fierent decreuit, pro confeſſo nimirum ſumit, Deum ex æternitate omnia decreuiſſe, quod caput controuerſiæ fuit, in quo præſertim diſputatio tota vertitur. Addo & falſum ſumi, & rerum etiam ordinem inuerti. Nos contra ordine prius eſſe dicimus, vt Deus præuideat, quod mox decernit. Prouidentiam appellamus quaſi præuidentiam, & prudentes vocat Tullius, qui futura multo ante proſpiciunt quaſi prouidentes. Quis autem diuinam illã mentem, quæ ipſiſſima ſapientia eſt, tã amentem ſtolidámque confinget, vt decernat priuſquam præuideat? An quod homini

Hieron. ad Cteſiphontẽ aduer. Pela.

Hiero. li. 3. aduer. Pela.

Cic. lib. 1. de diuinat.

prudenti affingere non auderet, Deo inſa nus affinget? Quanquam præſcientiam in Deo, ac deſtinationem, ſiue prædeſtinationem tempore metiri propriè nõ poſ ſumus. Et cum alteram altera priorem dicimus, ordinis potius, quam temporis rationẽ habemus, quod vtramque in Deo ante temporũ omnium dimenſiones, atque adeo ante mundi ortum, ſiue conſti-

Baſil. lib. 4. adue. Euno. tutionem, (vt loquũtur) agnoſcimus. *Hinc præſcientiam Dei non habere principium ſcribit Baſilius, finẽ tamen habere poſtquam facta ſunt ea quæ præſciuit Deus*. Sic pios ante mundi cõſtitutionẽ electos, vt ſancti eſſent, ſcri-

Ephe. 1. bit Paulus. Idem tamen quum de noſtræ vocationis ordine ſigillatim, accuratiúſ-

Rom. 8. que diſſerit, ita hæc connectit οὓς προέγνω vel προέγνωκε. quos præſciuit, vel præcognouit, & prædeſtinauit cõformes fieri imagini filij ſui. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit. Videtis vt præſcientiam ante prædeſtinationem collocet? Quod etiam confirmat in hæc verba tantoperè laudatus à

Theodo. in c. 8. ad rom. Beza dialo 1. de re ſacr. Auguſt. in pſalm. 50. Beza Theodoretus. *Nõ dixit ſimpliciter prædeſtinauit, ſed quod præſciuit, prædeſtinauit.* Cõfirmat & eundem locum explicans Auguſtinus: *Prædeſtinatio noſtra (inquit) non in*

nobis

*nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum in eius
præſcientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt, vo-
catio, iuſtificatio, glorificatio*. Si prædeſtina-
tio noſtra ſit in Dei pręſcientia, præſcien-
tia nimirum ordine antecedit. Et alio lo-
co. *Iſta igitur dona quibuſcunque Deus donat,
procul dubio donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua* Aug. de bono
præſcientia præparauit. Quos ergo prædeſtinauit, perſeu. c. 17.
*ipſos & vocauit. Vocauit vocatione illa quam
ſæpe commemorare non piget, de qua dictum
eſt, ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.
Nam in ſua quæ falli, mutarique non poteſt
præſcientia, opera ſua futura diſponere, id om-
nino nec aliud quicquam eſt, niſi prædeſtinare*.
Si Deo prædeſtinare nihil aliud eſt,
quàm in ſua præſcientia præparare, aut
in ſua præſcientia opera futura diſpone-
re, nonne prædeſtinationem præſcientia
ordine antecedit? Et alio loco. *Prædeſti-* Aug. de bono
natio ſanctorum nihil aliud eſt, quam præſcien- perſeu. c. 14.
tia, & præparatio beneficiorum Dei, *quibus li-
berantur quicunque liberantur*. Hinc prædе-
ſtinatio nonnunquam præſcientiæ no-
mine deſignatur. Scio quam mala fide Roma. 11.
locum Pauli ſupra commemoratum, Be- verſ. 2.
za, & ante Bezam Caluinus inuerterit.
Dum vterque προγινώσκειν ante decernere &

certò ſtatuere interpretatur. In quam ſignificationem & ſi nonnunquam vſurpatur, tamen ea interpretatio, ſi hic vera eſſet, ſanè & προγινώσκειν & προορίζειν idē prorſus eſſet, nulluſque inter hæc duo conſtitueretur gradus. Rectius igitur meo iudicio, poſt Origenem Eraſmus, etſi Paulum de nuda præſcientia loquutum non putat, ſed de ea qua Deus pios noſſe, & impios non noſſe, dicitur, vt etiam iterpretatur Petrus martyr, tamen nullam inde neceſſitatem ſcribit inferri. De præſcientia intellexiſſe Paulum, loci quoque Auguſtini ſupra commemorati, ac Theodoreti indicant, Præſcientiamque prædeſtinatione priorem eſſe commonſtrant. Et ante illos ſatis confirmat Origenes, de ſelectis

Orig. in c. 8. ad roma.

tantum illud Pauli interpretans, *quos præſciit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Cæteri autem præſciri non dicuntur (inquit) non quod aliquid latere poßit naturam illam, quæ vbique eſt, & nuſquam deeſt. Sed quia omne quod malum eſt, ſcientia eius, vel præſcientia habetur indignum.* Vel ſi id magis apertè pronuntiare, aut verius dicere volumus: quia quicquid malum eſt, Dei prouidentia, ac decreto habetur indignum.

Neque porrò me latet Dei præſcientiam à ſcholaſticis in eam ſignificationē accipi, vt ſit prȩuidentia qua Deus hominum opera futura præſcit, ac præcognoſcit: Quemadmodum etiam hanc dictionem vſurpauit Ambroſius, ſed à Pauli ſenſu multum vtique aberrauit. Paulus quippe πρόγνωσιν ad hominum opera nō refert, ſed ad Dei ipſius prouidētiam, ac decretum, quod noſtræ prȩdeſtinationi, non autem opera cauſam præbeat. *Quos Deus præſciuit (inquit) Ambroſius futuros ſibi deuotos, ipſos elegit, ad promiſſa præmia capeſſenda, vt ij qui credere videntur, & non permanent in fide cœpta, à Deo electi negentur. Eſt enim qui ad tempus eligitur, ſicut Saül & Iudas, non de præſcientia, ſed de præſenti iuſtitia.* Hinc certo (ni fallor) colligere poſſumus, præſcientiam latiore ſignificatione ſumptam, genus eſſe ad πρόγνωσιν, ſiue prouidentiam, quemadmodum à Paulo, & antiquis theologis vſurpatur, & ad operum noſtrorum præcognitionem, quȩ peculiariter à ſcholaſticis præſcientia vocatur. Theophylactus etiam apertè præſcientiam præcedere, prædeſtinationem ſequi ſcribit. Quàm præpoſtere igitur aſſerat Caluinus, Deum

Amb. in c. 8. ad rom.

non alia ratione quæ futura ſunt præuidere, niſi quia ita vt fierent, decreuit, ſiue prædeſtinauit, ſatis ſuperque confirmatum puto. Accedit quod Dei præſcientiam Caluinus ac Caluiniani, prædeſtinationémq; confundunt, atque alteram ab altera, aut certè quæ harum ſunt propria, non ſatis accuratè diſtingunt. Nam & ſi Deus quemadmodum præuidet, ac prouidet rerũ euẽtus, hoc vel illo modo melius habituros, aut hos vel illos in ſuæ maieſtatis commendationem magis ceſſuros, ita & decernit, ſiue prædeſtinat, (immenſę enim illius bonitatis eſt, omnia ad id quod optimum eſt, dirigere, ac velut manuducere) non tamen omnia quæ præuidet & decernit. Id explicat in hæc verba Auguſtinus: *Sicut tu quædam quæ feciſti, meminiſti, nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti. Ita Deus, Omnia quorum ipſe author eſt, præſcit, nec tamen omnium quæ præſcit, ipſe author eſt: quorum autem non eſt author, iuſtus eſt vltor.* Et alio loco. *Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia.* Exemplum ſubiicit de peccatis quæ præſcit Deus, & non facit. Cauſas igitur intermedias magna ex par-

Aug. de li. arbit. l. 3. c. 4

Aug. de præ deſt ſanctor. li .c. 10.

Prosper. in reſponſ. ad galli ca 14. idem iiſdem verb. repetit

te,ac pleroſque qui has conſequuntur euentus, humani arbitrij libertati permittit:alioqui ſi quod omnia certò prȩuideat Deus, omnia quoque prædeſtinare, aut decernere quis dicat, prædeſtinationem nimirum cum præſcientia,ſiue præuidentia confundit: quum præuidentiam rerũ cauſam nemo dixerit,aut vllã inferre neceſſitatẽ, quod etiam Caluinus nõ negat. *Beza de abſterſionibus quib. aſperſ. &c.*

Nec verò inde quod permulta noſtræ libertati permittantur,conſequitur,quod temerè infert Beza, Deum ſcilicet, vel inuitum,vel ignorantem,vel oſcitantem, atque otioſum permittere: voluntas inclinationem indicat, vt aliquid fiat: Permiſſio nullam permittentis inclinationem indicat,ſed propoſita velut quadam ἀδιαφορίᾳ, liberum relinquit, vt in vtramq; partem feramur. Non quod hic oſcitetur Deus, aut perinde illi ſit, ſi peccet quis, vel non peccet. Sed quod ea permiſſione, ſemper aliud quiddam ſpectet, quod poſtremum quidem vult,etſi multa quæ intercedũt,contra eius voluntatem plærunque fiunt, vt ſcribit Auguſtinus. *Propterea namque magna opera Domini, exquiſita in omneis voluntates eius, vt miro &* *Aug. in Enchir. c. 100.*

ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens de malo facere poſſet bene. Vbi quum ait, nec vtiq; nolens ſinit, ſed volẽs, voluntas eius non propriè vſurpatur, quæ ſcilicet huc propendeat, vt id fiat, atq, eidem acquieſcat: Sed in genere accipitur, quæ non impedit fieri, quod re vera non vult Deus: ſed quo tamen bene vſurum ſe præuidit: malis enim non niſi bene vti bonus & omnipotẽs poteſt. Inuitus autem propriè volenti, nõ æquè vero permittenti opponitur. Qui enim permittit, velut intermedius eſt, & inter duo extrema collocatur. Permiſit igitur Deus, & quidem non inuitus, (non quod peccato oblectetur, ſed quod longè aliud ſpectet) nec ignorans, nec otioſus, Adamo peccare, atq; totam poſteritatẽ peccato inuoluere, vt maior, ſcilicet erga nos diuina bonitas, Chriſtiq; peccatorum omnium pœnas luentis charitas declararetur, multíſque aliis de cauſis fortaſſe, quæ in arcano diuini conſilij ſacrario deliteſcunt. Permiſit (inquam) homini peccare, vt magis acceptum eſſet

Aug. li. 11. de geneſi ad literã c. 6. et ſequent. & l. de diuinat. dæmonũ c. 1. & 2.

ſponte, quam neceſſario collatum Deo obſequiũ, magis grata, voluntaria, quam coacta pietas. Permiſit Dauidi adulterium committere, Petro Chriſtum deſerere, vt maior reſipiſcentibus redderetur merces, vt in vera pietate minus confirmatis nulla deſperandi occaſio ob oculos obuerſaretur. Permittit quotidie improbis peccare, & in peccatorum cœno ſeſe conſpurcare, vt piorum magis illuſtretur integritas, atque amplioribus ab ipſo æquiſſimo Agonotheta præmiis remuneretur, vt nõ minor in malis puniendis, quam in piis augendis eius æquitas declaretur. An propterea peccati authorem dicemus Deum, aut eiuſdem volun tate peccata cõmitti? Minimé verò, quum ad longè alium ſcopũ collimarit. Adhæc ſi maleficium (vt Caluinus & poſt Caluinum Beza ſcribit) æſtimatur ex fine, quo quiſque tendit· Dei autem voluntas nunquam ad malum, aut peccatum tanquam ad finem tendit, ſanè Dei voluntas malorum, aut peccatorum cauſa eſſe nũquam poteſt. Hinc Auguſtinus. *Deteſtanda & abominanda opinio eſt: quæ Deum cuiuſquã male voluntatis aut male actionis credit authorẽ, cuius*

Cal. inſt. l. 1. c. 4 ſect. 2. Beza de abſterſion. in 1. errore.

Aug. ĩ reſpõ. ad artic ſibi falsò impoſ. art. 10. 14.

prædeſtinatio nunquam extra bonitatē, nunquam extra iuſtitiam eſt. Et paulò poſt. *Si ergo à iuſtitia & pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua cōcupiſcentia trahitur, ſua perſuaſione decipitur, nihil ibi pater, nihil filius, nihil ſpiritusſanctus; nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius ope ſcimus, multos ne laberentur, retentos, nullos autē vt laberentur im-*

Rom. 1. *pulſos.* Itaq; ſi nonnullos Deus in reprobū ſenſum tradit (vt admonet Paulus) nō hic acquieſcit Dei voluntas. Sed illuc nimirū ſpectat, vt peccatū peccato puniat, quod iuſtitiæ eſt. Si Iobo calamitatem immiſit, non eo collimauit, vt hominem pium affligeret, ſed vt probaret, & in officio contineret: quod paternæ prouidentiæ eſt, videre ne mundi illecebris pellectus, chariſſimi filij animus laſciuiat ac iuueniliter exultans de via aberret, aut potius in auia feratur, atq; in vitia præceps ruat. Nec difficile eſt ex his duobus exemplis de aliis

Beza de ab-ſterſion. in 1. errore. id genus iudicare. *Deus igitur nunquam impiorum ſcelera efficaciter operatur* (vt tradit & loquitur Beza) *nunquam quenquam errare facit, nunquam ſpiritum erroris miſcet, nunquam corda obdurat, nunquam prophetas ſeducit, etiamſi hæc omnia fieri aliquando permittit.*

Si enim propriè & efficaciter Dei volun- *Baſilius in*
tate ſcelera patrarentur, nónne malorum *homil. quod*
re vera Deus author eſſet, quod βλάσφημον *quod Deus*
eſſe docet Baſilius: *Nam qui Deo bonitatem* *malorũ non*
aufert, quæ illi natura inſita eſt, aufert & diui- *ſit author.*
nitatem, vt ille ſcribit. Si enim Deus malorum cauſa eſt, bonus non eſt. Si bonus *Aug. in en*
non eſt, neque Deus eſt, itaque vtrobi- *chiridio c.*
que Dei abnegatio occurrit. Hoc diuinæ *96.*
voluntatis, permiſſioníſque diſcrimẽ explicat Auguſtinus. *Nec dubitandum eſt (inquit) Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcũnque fiunt maſe: non enim niſi iuſto iudicio ſinit: & profectò bonum eſt, omne quod iuſtum eſt. Quamuis ergo ea quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſint bona: tamen vt non ſolum bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullomodo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono, cui proculdubiò quàm facile eſt, quod vult facere, tam facile eſt quod non vult eſſe, non ſinere.* Quibus verbis ſatis declarari diſtinctio illa mihi videtur, qua Deus bona velle dicitur, mala autem velle nõ dicitur, ſed ſinere, vel permittere: Siquidem & alio loco malæ hominis voluntatis authorem dicere Deum nefas eſſe ſcribit. Item, *Deus neminem tentat*

Aug. de bono perſeuer. c. 6. *(inquit) hoc eſt, neminem infert, vel inducit in tentationem.* Et paulo poſt. *Quod itaque dicimus* Deo, *ne nos inferas in tentationem, quid aliud dicimus, niſi ne nos inferri ſinas.* Quod ſi inter Dei voluntatem, vt propriè accipitur, eiuſque permiſſionē nihil intereſt, quomodo cōſiſtet illud Auguſtini axioma, quo nihil fieri aſſerit, niſi quod aut Deus facit, aut fieri ipſe permittit? Si res eadem vtroque mēbro deſignatur, quid diſiunctim enunciare opus fuit: Vti etiam Chry. homi. 7. in 2. ad Timoth. enuntiauit Auguſtino æqualis, aut paulo ſenior Ioānes Chryſ. *Hoc ſolum ſcito (inquit) quod Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrij ſumꝰ, quod alia quidē agit, alia vero permittit: quod nihil mali vult fieri, quod non ex ſola ipſius volūtate fiunt omnia, ſed ex noſtra quoq;: mala omnia ex noſtra tantūmodo fiūt, bona omnia ex voluntate noſtra, & ipſius auxilio.* Id aliis verbis Clemēs Alexandr. li. 1. Stromat. explicat Clemens Alexandrinus, cuius non tam verba, quam ſententiā ex Græco in Latinum ſermonem conuerſam referam. *Cauſa in actione eſt (inquit) quemadmodum nauis, aut domus architectus dicitur, eo quod nauem vel domum conſtruat, qui autem non prohibet, ab illo remotiſſimus eſt: quid enim agit, qui non prohibet? Quàm vero abſurdum eſt, ſi quis*

vulneris cauſam dicat, non telum, ſed clypeum qui non prohibuit, quominus telum peruaderet, vnde qui prohibuit, cauſa quidem eſt: qui autem non prohibuit, liberam homini optionẽ relinquit: vt vel maximè Deus nobis non ſit cauſa peccati. Quod ſi non agit, is qui non prohibet, nec profectò agit, qui permittit: quid enim aliud eſt non prohibere, quàm ſinere, & permittere? Et ſi is qui non prohibet, vel qui permittit, liberam alteri optionem relinquit, non ſimpliciter vult quod futurum eſt: Sed id alterius voluntati ita permittit, vt à ſua voluntate amplius non pendeat. Sic etiam locum nuper commemoratum interpretatur Cyprianus. *Et ne nos patiaris induci in tentationẽ* (inquit) ac ſubiicit. *Datur autem poteſtas aduerſus nos malo .i. ſatanæ ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt, Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſrael iis qui prædantur illum? nónne Deus cui peccauerunt?* &c. Quod ſi propriè nos in tẽtationem Deus induceret, quid ea interpretatione opus eſſet? Quam diuinæ voluntatis, permiſſioníſque diſtinctionem etiam ex recentioribus, & iis quidem qui ab Eccleſia defecerunt, ſequutus eſt Melancthon. *Sciant etiam ſtu-*

Cypr. ſerm. de orat. Dominica.

Melãct. in locis cõmun. c.de prædeſt.

dioſi (inquit) phraſin Hebraicam in illis verbis. Ego indurabo cor Pharaonis, ſignificare permiſſionem, ego ſinam indurari, & in quotidiana precatione: ne nos inducas in tentationem. Et occurrunt exempla paſſim, quæ teſtantur hac phraſi Hæbraica ſæpiſſimè permiſſionem ſignificari. A quo non diſſentit Muſculus. *Nec diſplicet (inquit) quod a nonnullis locus Auguſtini, ad hãc quæſtionem citatur, qui in Enchiridio illius cap. 96. ſic legitur. Nec dubitandum eſt, Deum facere bene etiã ſinẽdo fieri quæcunque fiunt malè,* &c. & moxtotum locum ſupra ex Auguſtino deſcriptum inſerit.

Muſcul⁹ in locis cõmun. c.de voluntate Dei. Idẽ in c.14. Eſa. ver. 23

Hinc etiam quàm frigidis rationibus nitatur Beza, vt non omnia tantum, ſed & ſingula ex Dei decreto euenire confirmet, ſatis intelligi poteſt. *Si quid euenit aliter (inquit) quàm Deus decreuerit, omnipotens non eſt, vt-pote cuius irrita ſunt aliqua decreta.* At primum probandum fuit, Deum omnia decreuiſſe. Id vt probet, ſtatim ſubiũgit. *Si quippiam vel tantillum accidat abſque eo, vt interuenerit* Dei *decretum, totidem* Deos *conſtituamus oportet, quot exiſtent huiuſmodi cauſæ* προκαταρκτικαί. *Nam qui à nullo ſuperiore motore regitur, neceſſario* Deus *eſt, quum nihil eo ſit ſuperius.* Deum ſupremum motorem agnoſcimus, qui re-

Beza de abſterſioni. in primo error.

bus omnibus, præſertim vero hominibus vim mouēdi immittat: nō tamē ita immittit, quin plurimos motus, & quod ad animum, & quod ad corpus attinet, humanæ libertati permittat. Cur vero in iis quæ libero hominis arbitrio relinquuntur, multas cauſas προκαταρτικὰς, ac proinde totidem Deos conſtituat, Beza, non ſatis aſſequor. Mihi liberũ eſt Lutætiam proficiſci, aut non proficiſci: huius profectionis ſuſceptæ, vel non ſuſceptæ, cauſa eſt ea animi voluntas, quę tũ mihi inſedit. An vltra progredi nō poſſumus? ſanè poſſumꝰ. Nã animus, ſiue ea animi voluntas prima, princépſq; cauſa nō eſt, cur homo moueatur, atque hoc iter peragat, ſed Deus qui homini, vt moueri poſſet, dedit: nō in ſe igitur homo, ſed à Deo motus principium habet: quamuis vt huc, aut illuc moueatur, non ſemper præſcribat Deus, ſed plærunque liberum relinquat, hoc eſt, vis mouendi à Deo eſt, actio ipſa ſiue ceſſatio ab actione, motus, ſiue ceſſatio à motu, magna ex parte libero hominis arbitrio relinquitur. *Nam quemadmodum aliud eſt (vt inquit Auguſtinus) ex intimo, ac ſummo cauſarum cardine condere atque* *Aug. lib. 3. de trinit. c. 9*

adminiſtrare creaturam(quod vnus Dei *eſt)aliud autem pro diſtributis ab illo viribus, ac facultatibus,aliquam operationem forinſecus admouere, vt tunc, vel tunc, ſic exeat, quod creatur*, vt de Magorum Ægyptiorum ſerpentibus videre eſt,ſic prima motus cauſa à Deo eſt, quæ hanc conſequuntur,atque inde vim ſuam recipiunt, hominibus plærunque tribuũtur. Nec ſecus in cæteris quæ ſunt liberi arbitrij euenit. Sẽper enim ad Deũ omnis motus cauſam προκαταρκτικὴν redimus.

SED his in aliam diſputationem reiectis, aut potius omiſſis, quod ab huiuſmodi curioſis quæſtionibus, explicatione difficillimis, præſertim quæ de Prædeſtinationis ratione ſuſcipiuntur, nos auocet Auguſtinus, iis quæ ad refellendã Caluini calumniam, & ad noſtrã hypotheſin conſtabiliendam ſatis eſſe poſſunt, cõtenti,Caluinianos Caluinianis ef fatis refutemus, & ad Auguſtini ſententiam vel explicandam,vel ex Caluini etiã doctrina propugnãdam redeamus. Prædeſtinationis impiorum cauſam,Dei eſſe voluntatem(vt ſupra docuimus) affirmat Caluinus. Si quis igitur quæret, cur infantes Deus in mortem immaturam de-

ſtinarit, vel prædeſtinarit, quæſtionē vnà cum Caluino ita abſoluemus, vt nullus poſtea relinquatur ambigendi locus: Si tamen vera ſunt quæ ille tradit, Deum ſcilicet ita voluiſſe reſpondebimus, diuina autem volũtate nihil eſſe ſublimius, vt hic ſubſiſtat vnuſquiſque, nec vltra progrediatur neceſſe eſſe, Deum haud quaquam ita nobis addictum eſſe, vt eorum quæ agit, ad nos rationem referat, arbitriúmve nobis deferat: nos inſuper nec legitimos tantarum rerum, iuſtóſque eſſe arbitros. Quas quidem rationes ex ipſis Caluinianę Theologię fontibus hauſtas, niſi cum ſummo ſcelere, & aperta in doctorē ſuum impietate (vt mihi videtur) Caluiniani reiicere non poſſunt. Deſinãt itaque, deſinãt (inquã) impudenter oblatrare, nobíſque toties limbum obiicere, ſine cuius adminiculo, ex ipſiſſima illorum doctrina Auguſtinum facile tueri poſſumus. Quanquam ſe ſatis ipſe tuetur Auguſtinus, quum ait: *Quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamuis definire non poſ-* *Aug. li. 5. c. 8. contra Iulianum.*

ſim, non tamen audeo dicere quod eis vt nulli eſſent, quam vt ibi eſſent, potius expediret. Et alio loco ita ſcribit: *Hæc gratia, baptiſmi nimirum, cur ad illum veniat, ad illum nõ veniat, occulta cauſa eſſe poteſt, iniuſta non poteſt.* Neque Limbi meminit, ſed cauſam ipſam inter occulta Dei conſilia collocat. An verò quod Caluino in prædeſtinatione licuit, in re non minus difficili, perplexáque Auguſtino non licebit? vt quoniam humana prudentia certam ferre ſententiam non poſſumus, id Dei, qui vnus omnia videt, arbitrio relinquamus. Et in rebus arduis, & ab humana intelligentia multum diſſitis, doctam eſſe ignorantiam Caluinus prædicat. Patiatur ergo Caluinus, Caluinianíque, de infantulorum nondum ſuſcepta baptiſmi initiatione, mortuorum conditione, ſtatúque, nos ignorare non minus obſcura, atque perplexa, quàm quæ Caluinus ipſe in prædeſtinatione ſibi ignorare permittit. Et quandoquidem nihil de illis ſacræ literæ ſtatuũt, nihil quoque ipſi ſtatuere prorſus audeamus. Si Auguſtini ſeueritatem tantopere reformidabant, at ſaltem in Gerſonis mitiore ſententia

Aug. lib. 1 de peccat. mer. & remiß. c. 20.

tentia

tentia conſtitiſſent, quæ inter has velut intermedia ingreditur, & calumniis non perinde, atq; Caluiniana obnoxia eſt, & multos habet ſuffragatores. Quis enim diuinā vim metiri, aut humana ratione circunſcribere, aut omnia immenſæ illius bonitatis genera complecti poteſt? Nec obeſt quod fidelium pariter, infideliúmque infantes peccato naſci inquinatos, nonnulli obiiciunt: quod etſi inficiari nō poſſumus, tamē diuerſam vtrorúmq; ſortem, aliámque diuini numinis erga ſuos, aliam aduerſus alienos beneficentiam notare poſſumus: illi enim cum in eccleſia naſcantur, ideóque in Dei peculio quodammodo ſint, maiora diuinæ bonitatis exempla experiri poſſunt. non quod ſancti naſcantur, vt falſò tradunt Caluiniani, ſed ꝙ morientibus, nec dum quicquā quantum in ipſis eſt, peccantibus, nonnihil clemens & erga eccleſiam ſuam benignus Deus indulgeat, ac de ſummo iure decedens alienam culpam illis inuſtā, aut infuſam remittat, alioqui grandioribus & ratione præditis haudquaquam, niſi tinctis remiſſurus. Hi cum in eccleſia non ſint, neque numerentur, extra

quam nulla eſt ſalus (vt vulgo aiunt) meritò diuinam experiuntur ſeueritatem. hæc illi: quæ ſi vera non ſunt, at vero ſimilia ſunt, & Caluinianis placitis longè tolerabiliora: neque enim ἀδύνατον quicquam inuehunt, vt qui gratiam, peccatúmque eidem ſimul ineſſe confitentur, & diuinæ clementiæ ſatis congruere videntur. Tametſi mirari nemo debet, infantes, qui nulla ſua culpa, ſed hæreditaria peccarunt, & ab ea declinare nulla ratione potuerunt, æternis ſupplicijs quanquam leuioribus addici, & nullam nonnunquã diuini numinis experiri benignitatẽ: niſi pariter & illa, miretur, multos
Matt.22. nimirum vocatos, paucos verò electos:
Ioan.6. Neminem ad Chriſtum venire, niſi eun-
Ioan.15. dem pater traxerit: Sine Chriſto nos nihil poſſe: aut quomodo diuinæ iuſtitiæ conueniet illud de Iacobo, & fratre tanto ante prædictum? *Qui quum nec dum in*
Rom.9. *lucem editi eſſent, nec quicquam boni malíve deſignaſſent, vt Dei immobile decretum conſtans maneret, vocem à diuina maieſtate delapſam, ſtatam, fixámque pronuntiaſſe ſententiam, nempe maiorem natu minori ſubditum iri, hunc Deo charum fore, illum odio habendum.* Quid

igitur ſupereſt quàm vt cum Paulo excla- memus. *O immenſam diuinæ ſapientiæ ac cognitionis profunditatem, quàm inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & viæ imperueſtigabiles, quis Domini mētem nouit? aut quis illi à cōſiliis fuit?* Eandē Auguſtini ſentētiā cōfirmat Conſtātinopolitanū inter œcumenica ordine ſecundū, in cuius ſymbolo hæc legūtur, *Confitemur vnū baptiſma, in remiſſionem peccatorum.* Quod in Niceni quoque concilij ſymbolo iiſdem verbis legi ſcribit Epiphanius, tametſi id in conciliorum tomis, qui noſtro ſeculo excuſi ſunt, deſideratur. Confirmant & Mileuitanum ac Carthaginenſe 6 in hæc verba: *Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidē peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde ſit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quoniā non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus, per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omneis homines pertranſiit, in quo omneis peccauerunt, niſi quemadmodum eccleſia Catholica vbique dif*

Rom. 11.

Concil Mileuit. c. cōcil. Carth. 6 c. 1. 2. Aug. de eccleſiaſt. dogmat. c. 33

fuſa ſemper intellexit. Propter hãc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorũ in ſemetipſis ad huc committere potuerunt, ideo in peccatorum remißionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mũdetur, quod generatione traxerunt. Quorum duorum Conciliorum decreto, in eadem verba repetito, ſatis liquet infantulos, haud quaquam in matrum vteris ſanctificari (vt loquuntur & tradunt Caluiniani) ſed verè in peccatorum remiſſionem tingi, & ipſa tinctione peccati innaſcentis ſordibus elui. Ante baptiſmũ igitur eos peccato originis inquinatos eſſe, idcircóque cœli aditu excludi ſatis conſtat, niſi aliqua ſecretiore via, nobíſque incognita beneficentiam ſuam in illos Deus effundat. In quam ſententiam profertur illud Zozimi Romani pontificis, *Ipſius (Chriſti ſcilicet) morte mortis ab Adã omnibus nobis introductæ, atque tranſmiſſæ, vniuerſæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnium natorum antequàm per baptiſmum* Aug. epiſt. 157. *liberetur, non tenetur obnoxius. In his verbis (inquit Auguſtinus) Apoſtolicæ ſedis tam antiqua, atque fundata certa, & clara eſt catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.* Adhæc

ſi baptiſmus,vt peccato originis eluantur infantes, neceſſarius non eſt,quid ad eos tingendos ſtatim Caluiniani properant? Nónne ſatius erat baptiſmum in eam differri ætatem, qua rectè inſtitui infantes, & Chriſtiana religione imbui poſſent? vt Anabaptiſtę differendum putant: pręſertim quum maiorem gratiam aſſequãtur adulti,qui priuata, quàm infantes qui aliena fide ad baptiſmum accedunt,vt docet Auguſtinus. Præterea quum baptiſmus ſit duntaxat remiſſionis peccatorũ, & renouationis obſignatio,quę fit ad maiorem promiſſæ gratiæ confirmationem (vt Caluiniani tradunt)quid ea obſignatio infanti prodeſt, qui nondum quid agatur intelligere poteſt? At parentibus (inquiunt)ſatisfit,qui de iam collata in liberos ſuos gratia,ad maiorem erga Deũ gratitudinem excitantur. Sanè,vt infantibus ipſis, quorum cauſa agitur in baptiſmo potius ſatisfiat,laborandum fuit. Sed quia neſcio quid lucelli inde Caluiniani miniſtri recipiunt, nõ ægrè neceſſitatem hactenus admittunt, ne contemptus interuenire exiſtimetur. Quod quidem de adultis vere dici poteſt. Hi enim ſi baptiſ

mum vel repudiant, vel ſupina negligentia omittunt, iure damnantur, & ſi tum moriuntur, gehennæ addicuntur. At in infantem contemptus iſte cadere nõ poteſt; qui nec poſtulare nec negligere baptiſmum pre ętate poteſt. Parentũ porrò cõtemptus, aut de adminiſtrando liberis ſuis baptiſmo negligẽtia infãti nullo modo obeſt: Si quidem baptiſmus collatæ iam gratiæ ſignum duntaxat eſſe definitur. Siue eñ baptiſmus adminiſtretur, ſiue nõ adminiſtretur, ſẽper ex matris vtero ſãctificati ſunt infãtes, vt docẽt Caluiniani. Quapropter nihil cõtẽptus impedit, quo minus infantium baptiſmus in eã ętatem differri debeat, qua rationis iam compotes, quid agatur intelligere poſſint. Maiorem igitur ſubeſſe cauſam oportet, qua cõmota vniuerſa eccleſia, & eã dilationẽ ſemper improbauit, & infantes recens partu æditos ad baptismum ſtatim admiſit: quam autem excogitare poſſumus, niſi quod baptiſmo peccatorum remiſſio, & ſpiritus ſancti gratia conferatur? At cõtra Caluiniani miniſtri de baptiſmi vi & efficacia non admodũ ſolliciti, atque omnẽ neceſſitatẽ faceſſere iubentes, leuibus

plærunque de cauſis baptiſmum infantibus denegandũ putant. Nam & in ſuis Synodis eorum infantes, qui ſuarũ eccleſiarum cõmunione priuati ſunt, ad baptiſmũ non admittendos eſſe ſanxerunt, & (vt ſemper nouum aliquod doctrinę ſuæ monſtrum proferũt) nuper infantem hac ratione reiecerunt, atque à baptiſmo, arcendũ iudicarũt. Duæ ſunt nõ ita amplæ, neq; magni nominis in Galliis vrbes decẽ milliaribus, ſiue leucis gallicis diſſitæ: Altera in Biturigũ, altera in Boiorũ agro ſita eſt. Illa Dunũ regiũ, hæc ſancti Amani, ſiue amandi vrbs nuncupatur. Ciuis quidam Duni regij honeſto inter ſuos loco natus, adoleſcentulã Sororis filiã, quæ forte fortuna in morbum inciderat, atque inde mente capta erat, ad medicos deduxit: quos vbi conſuluit, pollicitus eſt operã pharmacopola vicinus, & quod vterque Caluinianę factionis eſſe, facilè de curanda virgine conuenerunt: ſed dũ morbi curationẽ pharmacopola procurat, virginem interim mẽte motã Senex, vxoratus, Caluinianus Caluiniani propinquam vitiat, ac grauidã reddit. Litẽ corruptori intendit auunculus, & vitiatæ virginis in-

famiã apud iudices exponit, ac de illata ſibi ſuæque familiæ cõtumelia cõqueritur. Hæc tãtiſper dum lis agitatur, Auunculo illi ex vxore naſcitur filius: quẽ ſtatim in lucẽ æditũ, ad PontanũCaluinianę factionis apud ſanctũ Amanũ miniſtrum baptiſmo mittit initiandũ. Pontanus vt litem à iudicibus ad ſuum arbitriũ reuocaret, baptiſmũ infanti ſe adminiſtraturum negat, niſi prius pueri pater cum pharmacopola cõueniat, Caluinianis inter ſe iudicio contendere nefas eſſe prętexens, ac ſic ſuſceptores re infecta, atque infantem ipſum intinctum remittit, idque ſexto Cal. Auguſt. ann. 1567. Videtis qua verſutia omnem ciuiliũ iudiciorum ratio nem peruertere nitãtur Caluiniani miniſtri? quàm ſubdolè omnium humanarum actionum cognitionem, atque arbitriũ ad ſe pertrahere conentur? quantam ex paruis initiis tyrannidẽ moliãtur? qui tum religionis, tum etiã forenſiũ cauſarũ omniũ poteſtatẽ ſibi vẽdicent? vt ſe nõ ſolũ ſacerdotes, ſed & reges eſſe meritò glorientur, queẽadmodũ de Anio cecinit poëta
Rex Anius, rex idẽ hominũ, phœbiq́ue Sacerdos.
Videtis quãti baptiſmũ faciãt? cuius vim

tãtopere extenuãt,tãq; nihili pendunt, q̃ dñicę cœnę τὸ μυστήριον ꝓphanãt, vt in duobus Sacramẽtis, quæ ſibi duntaxat,eccleſiíſq; ſuis reliqua fecerunt, nihil inuiolatum,atque impollutum relinquant.Quis autem hæreticorum parentibus liberos ſuos ad ſuſcipiendum baptiſmum offerentibus non annuit?quis in vniuerſa eccleſia non ſolum fidelium,ſed infidelium quoque, atque hæreticorum infantes oblatos à baptiſmo arcendos putauit? quis illis ob parentum patrata flagitia aditum in eccleſiam denegauit? Itaque hęreticos omneis, quotquot ad noſtra hæc vſque tẽpora vixerunt, Caluinianis longè modeſtiores fateri cogimur. Verum enimuero & hic alius obrepit ſcrupulus:ſi baptiſmi contemptus duntaxat vitio datur,neceſſitas nulla iniungitur, cur damnantur Clinici qui baptiſmum in mortis tempus differebant:neque enim quod vllus contemptus intercederet,differebant,neque ob id quod baptiſmum contemnerent damnati ſunt, qui magni in primis ſacramentum iſtud facientes,vt indubitata,ac certa iamiam morituris peccatorum remiſſio baptiſmo conferretur, ac ſalus of-

tur. Conſtantinum imperatorem iidem aiunt in extremum vitæ tempus diſtuliſſe baptiſmum, nec ob id ab epiſcopis fuiſſe reprehenſum. Sed & hic variant hiſtorici, & qui id memoriæ prodiderunt, cauſam dilati baptiſmi non omittunt, nempe quod Imperator quadã religione tactus iordanis aquis tingi in animo habuiſſet. Nectarius autem adhuc catechumenus, epiſcopus Conſtantinopolitanus, non ab epiſcopis ſed a Conſtantino imperatore deſignatus eſt, idque non ſine magna Epiſcoporum admiratione, quod homo licet iuriſprudentiæ gnarus, & in negotiis ciuilibus ſumma cum integritate, & ingenij laude verſatus, tamen rerum eccleſiaſticarum, ac ſacrarum literarum rudis, necdum baptiſmo initiatus, ad eam dignitatem promotus fuiſſet, quam tamen deſignationem, & imperatoris pietati multum tribuentes, & de Nectario homine prudente & cordato, illuſtrique familia nato, bene ſperantes epiſcopi ſuffragio ſuo confirmarunt, etſi re vera non probarunt. Videtis vt hæc hiſtoria baptiſmi neceſsitati minimè obſit? quanto enim tempore inter catechumenos numeratus ſit,

Euſeb. li. 4. de vita Conſtantini. Hieron. in chronico. ruffin. lib. 1. c. 12. Socrat. l. 1. c. 39. Theodoretus l. 1. c. 31. Sozomenus li. 2. c. 34. Nice. l. 7. c. 35.

baptiſmumque diſtulerit Nectarius, aut qua de cauſa diſtulerit non legimus: Potuerunt autem legitimæ differendi baptiſmi ſubeſſe cauſæ: & alioqui qui virili ętate baſmum recipiebant, ſtato tempore inter catechumenos prius religionis noſtræ rudimentis erudiebantur: quid? ſi ſenex ad Chriſtianiſmum acceſsit, necdum ſatis de religione inſtructus ſibi viſus eſt? Sanè poſt deſignationem multum in Epiſcopi officio perdiſcēdo laboraſſe, & præceptore ad eam rem vſum eſſe Cyriaco Adanæorum epiſcopo hiſtorici prodiderunt. Additur & Gregorius Nazianzenus qui epiſcopi filius viceſimo ſuæ ętatis anno baptiſmo initiatus eſt: vt epiſcopus pater fuerit, at hypſiſtariorum hæreſi diu laborauit, & mox ad Arrianos defecit, poſtea tamen reſipuit, & ad eccleſiam rediit. Nihil mirum itaque ſi filium de religione nondum ſatis confirmatus, & ab hypſiſtariorum dogmatis fortaſſe non prorſus alienus haud quaquam tingendum prima illa ętate curauit: nihil mirum porrò ſi filius iam rationis compos ob id ipſum, vel aliis de cauſis, quę perſcriptæ non ſunt, hærens, ancepſque baptiſmum

Nicep. hiſt. eccl. l. 7. c. 35.

diſtulit. Quid ſi Clinicorum errore, qui tum plurimum inualuerat, vel vterque, vel alter laborauit? & viceſimo ætatis anno filius de religione accuratius edoctus ad baptiſmum acceſſit? Quem autem hic teſtem oportuniorem quam illum ipſum proferre poſſumus, vt baptiſmi neceſſitas aſtruatur? Etſi enim priuatim aduerſus eccleſię, eccleſiaſticorúmque ſcriptorum conſenſum baptiſmum infantium in tertium annum differendum putauit, qua ętate puer, & quid ageretur intelligere, & iam aliquam, etiamſi non prorſus certam, ac numeris omnibus abſolutã fidei profeſſionem ædere poſſet, tamen conditionem addidit, niſi periculum immineret. Item alio loco ita ſcribit. *Omni ætati baptiſmus conuenit, omni vitæ formæ, omnibus congruit hominibus: quòd ſi tibi infans eſt, non ſurripiat malitia tempus, ex pueritia ſanctificetur, ex vnguibus conſecretur. Item dicet quiſpiam: quid de infantibus ais, qui neq; quid gratia, quídve ſit pœna cognorunt? num & illos baptizemus, maximè quidem ſi periculum aliquod imminet, melius eſt enim nondum rationis compotes ſanctificari, quàm non ſignatos, & initiatos vita excedere.* Vt paucis hunc locum con- *Greg. nazi. orat. 3. in ſãctum lauac.*

cludam, alia infantium, alia adultorum conditio eſt: quod in his niſi cõtemptus, aut maior negligentia interueniat, fides baptiſmi vicem implet: in illis quod baptiſmi vice fungatur, nihil, niſi fortaſſe martyrium inueniri poteſt. Itaque ſi ante baptiſmum ſuſceptum moriuntur, peccato originis infecti moriuntur. Quod aliis etiam rationibus docet Auguſtinus. Nam quum pro omnibus, nec niſi pro peccatoribus mortuus ſit Chriſtus, conſequens eſt infantes peccato originis eſſe obnoxios, quandoquidem ex ſe peccare non poſſunt, niſi forte Chriſtum pro illis mortuum negamus. Addit Hieronymus, Infantes qui baptiſmum non receperint, non ſolum peccati reos eſſe, ſed & eos qui vt illis adminiſtraretur, neglexerint. *Niſi forte exiſtimas (inquit) Chriſtianorum filios, ſi baptiſma non receperint, ipſos tantum reos eſſe peccati, & non etiam ſcelus referri ad eos, qui dare noluerint, maximè eo tempore, quo contradicere non poterant, qui accepturi erant.* Adhæc ſacramenta nullo modo à ſubſtantia, & veritate ſua ſeparari Caluinus docet; vt fatendum ſit *veram eſſe repreſentationem, quam adhibet Deus in cœna, ſubſtantiámque in-*

Aug. li. 6. c. 1. & 2. cõtra Iulianũ vide etiã Petrũ mart. in c. 7. 1. corin.

Hier. ad Lætam de inſt. filiæ.

Cal. de cœna

teriorem ſacramenti viſibilibus ſignis cõiunctam eſſe: & quemadmodum panis in manum diſtribuitur, ita corpus Chriſti, vt eius participes ſimus, nobis communicari. Hoc itaque & in baptiſmo recipiat, nempe ſubſtantiam interiorem ſacramenti viſibilibus ſignis coniunctam eſſe, veritatemque à ſacramento nunquam ſeparari, vt quemadmodũ corpus aqua eluitur, ita & anima ſpiritusſancti vi interiore purgetur. Si purgatur, nec id niſi maculis ablutis, hoc eſt, peccatis remiſſis accidere poteſt: ſanè peccatorum remiſſionem baptiſmo conferri neceſſe eſt: Quod etiam non inficiatur Beza, dum poſita altercandi ambitione verum fateri conſciæ mentis aculeo ſtimulante cogitur: tum enim ſacramenta *non ſimplicia eſſe ſigna ſcribit, ſed talia, vt præter ſymbola, quæ in externos ſenſus incurrunt, verè etiam à Deo detur, & à fidelibus percipiatur res ipſa; quam externa illa ſymbola nobis vnà cum Dei verbo teſtificantur.* Si ergo baptiſmus eſt ſignum regenerationis & renouationis, re vera regenerationem & renouationem confert, & verè non ſacramentali loquutione (vt aiunt Caluiniani) à Paulò lauacrum regenerationis & renouationis

Beza dialo. 1 de re ſacr. & aduerſ. math flacc. Illyricũ ad demoſt. 2.

appellatur, quo ſcilicet regenerationem, & renouationem conſequimur. Si & peccatorum remiſsionem & regenerationem baptiſmo conſequimur: perit omnis illa infantium in matrum vteris ſanctificatio, aut alium infantium, alium adultorum eſſe baptiſmum, cum Pelagianis fateri cogentur: & iſtos quidem tingi in remiſsionem peccatorum, illos autem verè non tingi in peccatorum remiſsionem, quod Mileuitani cōcilij authoritate iam cōfutatū eſt. Quinetiā quæ de baptiſmo nuper diximus, infantium baptiſmo nullo modo conuenirent: neque enim ſi in matrum vteris ſanctificati ſunt, verè perciperent quod externa baptiſmi ſymbola, vna cum Dei verbo teſtificantur. Nam ſi ſanctificati vel ſancti ſunt, puri omnino ſunt, ſi puri ſunt, nihil eſt quod abluatur, quomodo igitur purgatione & ablutione indigebunt? quid porrò aliud eſt ſanctificari, quam ex impuro, purum euadere. Falſiſsimum quoque eſſe & illud inde conuincitur, quod Caluinus & Beza tradunt: Sacramenta ſcilicet, iam collatę nobis diuinæ gratiæ ſolum eſſe ſigna, ſiue obſignationes, vt illi loqui ſolent, hoc eſt

nuda

nuda prorſus eſſe ſigna, etſi autem aliis locis nuda eſſe ſigna pernegant, tamen quum baptiſmum duntaxat antè collatæ gratiæ, & peccatorũ remiſsionis ſignum aſſerunt, quid aliud, quàm nudum eſſe ſignum aſſerunt? Quomodo vera eſſet repreſentatio, qua vt corpus aqua abluitur: ita & anima vi ſpiritusſancti purgari dicitur? Nonne ſecũ pugnare, & ſibi ipſi contradicere deprehendũtur? Quid de illo aient, qui ſimulata fide ad baptiſmum accedit? & mox reſipiſcens vera fide Chriſtum amplectitur? Sanè illi baptiſmus collatæ iam gratiæ ſignum eſſe non potuit, qui ſua ſimulatione effecit, ne diuinæ gratiæ eſſet particeps: verus igitur (ſi Caluinianis creditur) baptiſmus non fuit. An de integro erit tingendus? nec Caluinianos quidem id admiſſuros arbitror. Sit igitur conſtitutum baptiſmum nõ ſolum collatæ gratiæ ſignum eſſe, vt in Cornelio, ſed etiam eius quæ vel ipſa baptiſmi adminiſtratione confertur, vt in infantibus vel in poſterum conferetur, vt in iis qui indignè baptiſmum recipiũt, & mox reſipiſcentes vim baptiſmi ſuſcipiunt, hoc eſt diuinę gratiæ fiunt compotes. Quærit

præterea Auguſtinus, niſi infantes adhuc in Satanæ poteſtate eſſent, quis ante baptiſmum exorciſmi eſſet vſus, nullus profecto, ſed mera eſſet fabula. Et quãquam exorciſmum, non tam pro ludo ac fabula, quam pro execratione habent Caluiniani: at ſciant illius vſum eſſe antiquiſsimum, vt merito ex traditione apoſtolica ad nos perueniſſe exiſtimetur. Teſtes habemus locupletiſsimos, Dionyſium Areopagitam & Tertullianum inter latinos ſacrarum literarum interpretes primum, nec magno interuallo à prima illa, apoſtolicáque Eccleſia diſtantem. *Hi ſunt angeli (inquit) quibus in lauacro renũtiamus.* Cornelium quoque ſummum pontificem, Cyprianúmq; æquales, ac martyres. Poſt hos Cyrillum Hieroſolymitanum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Ioannem Chryſoſtomum, necnon & Optatum Mileuitanum. In primis vero, acerrimum exorciſmi propugnatorem Auguſtinum, vt interim traditionem eccleſiaſticam taceam, quæ tot ſeculorum confirmata conſenſu ad nos inuiolata deflu-

Aug. l. 1. de peccat. meri. & remiſſ. c. 34. & li. 2. de pecc. orig. cõt. Pelag. et cæleſt 40.
Dionyſ. de cæleſt Hier.
Tertullia. de habitu muliebri.
Cornelius ad fabian. Cypria l. 4. ep. 7.
Cyr. in præf. catech. & 1. catech. myſt.
Baſil. de ſpiritu ſctõ.
Greg. nazi. orator. 2. in ſanct. laua. & orat in ſacrũ bapt.
Chryſ. hom de Adam, & Eua.
Optat li. 4. aduer perm. donatiſt
Aug. cõtra Iulia l. . c. 1 & 2 & l. 2. de nupt. & cõcup. c. 18. & 29. & aliis pleriſque locis.

xit. Quinetiam hiſtoriæ eccleſiaſticæ Magdeburgicæ authores, etſi ab eccleſia vniuerſa receſſerunt, traditionúmque eccleſiaſticarum acerrimi ſunt hoſtes, tamen animaduerſo antiquorum ſcriptorum, eccleſiæque conſenſu, exorciſmos non ſolum probant, ſed & Petri authoritate confirmant. Verum enimuero exorciſmus iis qui ſacramēta nuda gratiæ iam collatæ ſigna eſſe volunt, & qui baptiſmo peccatorum ſordes elui negant, ac tinctis Chriſti iuſtitiam aſcriptam, ſiue imputatam (vt illi loquuntur) falſò obtendunt, in primis aduerſatur. Nihil mirum itaque ſi à Caluinianis vtróque dogmate, ab vniuerſa eccleſia diſſentientibus, ſumma cōtentione, atque ingenti ſtrepitu prorſus exploditur. Conſtat igitur peccatum originis baptiſmo elui, quod vel in lege Moſaica circuncisionem, quę baptiſmi typus duntaxat fuit, ſaltem vi fœderis olim pręſtitiſſe plærique theologi cenſent. *Hiſt. Magdeburg. cent. 1 l 2 c. 6. et cent. 3. c. 6.*

Neque verò eſt, cur Iſraëlitas in illis inter Ægyptum, Iudæámque deſertis locis natos, interim dum ſuos Moſes Ægyptiorum iugo excuſſo in Chananæam traduceret, nobis obiiciant. Quorum

exemplo Caluiniani circuncíſionẽ haud neceſſariò infantulis adhibendam fuiſſe autumant:Iſraëlitas enim qui ex Ægypto egreſſi ſunt, in deſertis illis locis omneis quidem vita functos ſacrę literæ prodiderunt. An vero ex horum liberis quadraginta annis, quibus vaſtam illam ſolitudinèm habitarunt, in lucem æditis, ibi mortui quoque aliqui fuerint, nécne, haud quaquam prodiderunt: ſed nec vllum quidem illic deceſſiſſe nonnulli eccleſiaſtici ſcriptores verò ſimile eſſe dixerunt. Tanta ſiquidem beneuolentia hanc nationem complectebatur Deus, vt ſi quando loci difficultas, aut aliqua maior neceſſitas vrgeret, diuina vi, potentiáque admirabili, quicquid offendiculo erat, auerteret, ſuppeditaret, quicquid erat ex vſu: mare Erytheum ad tranſitum illis diuiſum eſt, illis manna è cœlo eſt delapſum, illis cothurnices in cibum aduolarunt. Quid calceos, veſtéſque commemorem, totis illis quadraginta annis haud quaquam attritas? Quòd ſi vilia hæc, & abiecta ſuppeditauit, an verò quæ maioris momenti erant etiam non præſtitit Deus? nempe vt ij quos parentibus re-

Rupertus in Ioſue.

iectis ad Chananæam habitandam, poſſidendamque ſelegerat, conſeruati fuerint vniuerſi, quò ipſorum conditioni, ſalutique conſuleretur, & regio populoſior, & ab hoſtium iniuriis eſſet tutior, atque eiuſdem ſacroſanctum nomen celebraretur auguſtius. Præſertim cum vt illi reiectorum, qui vniuerſi non perire non põſſunt, ſic hi ſelectorum (prædeſtinatos vocant) typum geſſerint, quorum è numero perire nullus poteſt. Atqui in ipſo Chananęę regionis ingreſſu circuncisi omnes fuerunt, vt circunciſionem non ſine cauſa dilatam, non autem negligenter omiſſam, fuiſſe intelligamus. Quum enim de profectionis, non ſolum die, ſed hora, momentóque adeò incerti eſſent, ac ſigno cœlitus dato, ſemper illis ingrediẽdum eſſet, ne in mortis apertum diſcrimen inciderent, diuina benignitate indultum eſt, non vt omnino non circuncideretur, ſed vt ſtato die, hoc eſt octauo, circuncidi non cogerentur: hoc verò eſt, circunciſionis legem quadraginta illis annis ob publicam, vrgentémque neceſsitatem refixam quodammodo fuiſſe, aut certè remiſſam, atque in aliud

Aug. de fide ad Petr. c. 35

Auguſt. de correct. & gratia. c. 13.

tempus diuina prouidentia dilatam. Hac ipſa ratione & natalis dies circuncißioni præſcriptus non eſt, vti nec ſex qui proximè ſequuntur, ne tener infans vulnus ferre non poſſet. Addendum & illud. Quum circuncißionis præceptum iniunctum eſt, octauum fuiſſe præſcriptum diem: quæ legitimæ circuncißionis administrandæ eſt ratio: ſed vbi mulcta indicitur, nullum fuiſſe præſcriptum diem.
Geneſ.17. verſ.14. *Maſculus (inquit Deus) cuius præputij caro circuncißa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*, hoc eſt in fœdere mecum inito non cõnumerabitur: vt circuncißionem ſcilicet, neceſſitate dilatam, móxque administratam, non minus efficacem intelligeremus, quamuis ea præter ordinem adminiſtretur. Id in Moſis infantulo videre eſt,
Exod.4. quẽ quũ octauo die pater non circuncidiſſet, ob idq; vel Moſes quod veroſimilius eſt, vel infans in grauẽ valetudinẽ incidiſſet, infantẽ Sephora mater circuncidit, protinúſq; qui male habebat, cõualuit, ac manifeſto Dei iudicio, vis circuncißionis declarata eſt. Ne igitur ſingularia iſthæc exẽpla Caluiniani proferant, quibus circuncißionem aliquando differ-

ri,non autem eiuſdem neceſſitatem prorſus auferri probare poſſunt.

Hic autem magnā tragædiā Caluinus, Caluinianiq; excitant quod mulieribus ſi quando vrget neceſſitas, baptiſmi miniſterium non denegamus: profertur Marcion dānatus,quod id munus mulieribus obire permiſerit. Profertur Epiphanius,qui beatę virgini Domini noſtri Ieſu Chriſti matri,ne id quidē licuiſſe ſcripſerit. Sed nos qui legitimi ſacramētorū ſint miniſtri,nō ignoramus,quid pręter ordinem,ſi forte neceſſitas ita iubet, indulgēdum ſit,non diſsimulandū putamus. Omneis quotquot de legitimis miniſtrorū eccleſiaſticorū officiis ſcripſerunt,mulieres quidē reiecerunt,ne illæ quę virorū ſunt, vſurparent, & nos reiiciendas non negamus. Sed cū neceſsitas aliud ſuadet,aliud quoq; conſilium adhibendum eſſe cēſemus. Tinxit per ludum puerum catechumenū puer Athanaſius,nulla ſuberat neceſsitas, & tamen Alexander patriarcha. Alexādrinus cum epiſcopis colloquutus, de integro tingendū non putauit. Idē accidiſſe ſuo tempore puero Iudæo, ſcribit Nicephorus, & ſecundū Alexandri ſen-

Cal. inſt li. 4.c.15.ſect. 21.& in append.de vera eccl.refor.ratione.

Ruff. hiſto. eccl.l.1.c.14.

Nice. hiſto. eccl.l.3.c.vltimo.

tentiam iudicatum. quam in eo qui ab hiſtriõe per ludũ, vel Iudæo, vel prophano, ſiue Ethnico (vt loquuntur) tinctus fuerit, recipit Auguſtinus. An vero quæ pueris, atq; hiſtrionibus per ludum, & vbi nihil vrget, quę item Iudęis ſimul & prophanis licent, mulieribus ſiquãdo neceſsitas imminet, non licebunt? Præſertim cum Gratiani ſeculo, & longè ante non ſecus, atq; hac noſtra tempeſtate, id in vſu fuiſſe cõſtet: haud enim alienum miniſteriũ vſurpat, qui neceſsitate coactus, vicem abſentis implet. Ante Auguſtinum quoq; eam conſuetudinẽ inualuiſſe Caluiniani ſcribunt, illum porrò dubitare an peccent mulieres, quum baptiſmum adminiſtrãt: At falsò teſtem Auguſtinum proferunt. Neq; enim mulierum, ſed Chriſtianorum laïcorum (vt loquuntur) & eorũ qui Chriſtianam religionem nondum ſunt profeſsi, meminit Auguſtinus, vt etiam Caluinus annotat, atque Auguſtini ſeculo tingere mulieribus, haud licuiſſe ſcribit. Subiicit præterea Caluinus, Carthaginenſi concilio, ne mulier tingere audeat, caueri, alioqui communione ſe priuatum iri intelligat: ſed & mulctam illam

Aug. li. 7. de bap. cõtra Donat c. 53. de cõſec. diſt. 4. c. a quodã Iudæo.

c. mulier quamuis de conſ. diſt. 4.

Caluiniani in ſuo cẽtone gall. ſcripto.

Cal. inſt. li. 4. c. 15 ſect. 20

Idẽ in appẽdice l de vera eccl. refor. ratione.

de ſuo addit. Nam concilium, mulieribus nulla mulcta addita, baptiſmi functione duntaxat interdicit. Voluit ille fortaſſe ſurrogare κῶλον illud, loco eius exceptionis quæ apud Gratianum reperitur, ſiue ita in quibuſdam exemplaribus legerit Gratianus, ſiue Canonem ipſum in hanc ſententiam interpretandum iudicarit: *Mulier (inquit) tingere ne audeat, niſi neceßitate vrgente.* Caluinus canonem ſuo argumento accommodans, vel auxit, vel inuertit, dum ſic legit. *Mulier tingere ne audeat, alióqui communione priuetur.* Ita in alienis ſcriptis ingenioſus eſſe ſolet, quæ mutilare falſarius pro nihilo ducit: deinde vt communione priuetur, an proptérea baptiſmus à muliere adminiſtratus, nullus erit? An quod, vel impuri, vel non ſatis apti ſint miniſtri, ſacramenta ita violantur, & inania redduntur, vt nihil conficere poſſint? Id quidem Donatiſtæ olim aſſeruerunt, ſed ab Auguſtino, ac Caluino etiam in hæc verba redarguuntur. *Porrò ſi verum eſt quod conſtituimus, ſacramentũ non ex eius manu æſtimandum eſſe, à quo adminiſtratur, ſed velut ex ipſa Dei manu, à quo haud dubiè profectum eſt, inde colligere licet ni-*

Auguſt. de bapt. contra Donat. li. 7 c. 53 c. Solet. de cõſecrat. diſt. 4. Cal. inſt li. 4. c. 15. ſect. 16.

hil ei afferri, vel auferri eius dignitate, per cuius manum traditur. Ac perinde atque inter homines, ſi qua miſſa epiſtola fuerit, modo ſatis, & manus & ſignum agnoſcatur, minimè refert quis, aut qualis tabellarius fuerit, ita nobis ſufficere debet manum, & ſignum Domini noſtri in ſacramentis ſuis agnoſcere, à quocunque tandem tabellario deferatur. His Donatiſtarum error pulchrè refutatur, qui vim, ac pretium ſacramenti metiebantur miniſtri dignitate. Tales ſunt Catabaptiſtæ noſtri. Et paucis interiectis, *aduerſus quorũ ineptias ſatis valida ratione muniemur, ſi cogitemus nos baptiſmo initiatos, non in nomen alicuius hominis, ſed in nomen patris, & filij, & ſpiritusſancti, ideóque baptiſmum non eſſe hominis, ſed Dei, à quocunque tandem adminiſtratus fuerit.* Nónne hæ rationes & mulieribus tingendi functionem, præſertim vrgente neceſſitate, obire permittunt, non minus quàm vel Iudæis, vel prophanis, vel hiſtrionibus, quibus etiam eandem permittit Auguſtinus, Et cum Auguſtino Hieronymus? *Sine epiſcopi iuſsione (inquit) neque præsbyter, neque diaconus ius habent baptizandi, quod frequenter, ſi tamen neceſsitas cogit, ſcimus etiam licere laicis.* Et ante illos Tertullianus: *Alioqui & laicis ius eſt* (inquit) ſed hic locus mox etiam integer inſeretur.

Hieron. aduerſus luciferianos.
Tertul. li. de baptiſmo.

Qui autem laicis licere ſcribunt, baptiſmi neceſſitatem indicant: alioqui a legitimo miniſtro ſemper adminiſtraretur, quum nihil vrgere poſſet, aut omnino omitteretur. Et verò naſcentis eccleſiæ initio permiſſam omnibus tã viris, quam mulieribus docẽdi, atque tingẽdi facultatẽ Rabanus, Haymóq; opinãtur: ſed mox, ne vel munus vileſceret, vel minus ritè administraretur, vel perturbatio aliqua inde manaret, paucis, hoc eſt, eccleſię miniſtris vtrãque functionẽ fuiſſe cõmiſſam, quod doctrina atq; eruditione prędití, vtrãque exactius implere poſſent. Nónne eccleſia merũ habet imperiũ? aut quæ iſthæc eſt, quæ vocatur Clauiũ poteſtas, quã eccleſiæ conceſſam ſcriptura profitetur? nónne eccleſia pro temporum, locorum, perſonarum ratione miniſteria ſua partiri, mutare, & ſingulis ſua munia præſcribere poteſt? quis Epiſcopatus diuiſit? quis miniſtros eccleſiæ, vt nunc diſtinguntur, olim diſtinxit? quis eccleſiaſticam hierarchiam deſcripſit, ac ſecreuit? quis ſacramentorum ordinem, ac rationem docuit niſi ipſa eccleſia? Nam de his, vt vulgo definiuntur, atque vſurpantur, nullum

Rabanus epiſt ad Reginaldum chorepiſcopũ

Haymo in primam ad Corinth.

Dei verbum habemus. Quum igitur primis illis naſcentis eccleſiæ intiis, laicis (vt vocantur) baptiſmi adminiſtrationem vrgente neceſſitate eccleſia permiſerit, iure illis permiſſam fateri cogimur. Quum poſterioribus ſeculis eãdem baptiſmi adminiſtrationem, eadem de cauſa, eadem eccleſia mulieribus permiſerit, iure etiam permiſſam cõfiteri debemus: Et quò ad baptiſmi adminiſtrationem minus idonææ ſunt mulieres, eo magis indicatam, præſcriptámque baptiſmi neceſſitatem fuiſſe intelligimus. In aliis ſacramentis alia ratio eſt, in quibus aliquam à Chriſto, aut Apoſtolis quæ ſupra naturam ſit, poteſtatem, in miniſtro inſtitui legimus, in baptiſmo nullam diſertè inſtitutam legimus: nec illorum perinde, atque huius eadem neceſſitas, vt ſalutem conſequamur, ſacris literis conſignata eſt. Quàm verò de legitimis baptiſmi miniſtris certi ſint Caluiniani, viri Metenſes, ex Bezæ, Tafiníque Caluinianæ factionis hîc apud vos miniſtri, quem probè noſtis, literis intelligere poteritis. Ita enim Tafinus aliquando ſcripſit. *Noſtram eccleſiam mirandum in mo-*

dum perturbauit, quod hic nuper infantem recens partu æditum, & in aperto mortis diſcrimine conſtitutum, quidam è vicinis baptiſmo initiauit, vti & obſtetrices mortem inſtantem prætexentes initiare ſæpenumero ſolent. Pueri pater anxius, vt à legitimo miniſtro de integro initiaretur, poſtulauit, nos re dilata cæteras eccleſias cõſulendas iudicauimus. Huic Beza, qui tum vnà cum aliis Heluetiorum miniſtris, Piſſiacum totam Galliarum tranquillitatem perturbaturus acceſſerat, in hæc verba reſpondet. *Quod de baptiſmo ab eo qui legitimè vocatus non eſt, adminiſtrato, propoſuiſti, in noſtro conuentu ſumma diligentia conquiſitum eſt. Maior pars in eam ſententiã conceßit, vt baptiſmus nullus eſſe exiſtimetur: ſed quoniam nõnulli, iíq; acerrimi iudicij viri ſeſe dubitare teſtati ſunt, & contraria ſententia rationibus, ac magnorum virorum authoritate non caret, quæſtionem ad Geneuenſem, Tigurinámque eccleſiam referendam iudicauimus.* Hæc bona fide ex ipſis literis Bezæ, Tafiníque manu ſcriptis, & ſubſignatis, quarũ ἀυτόγραφα cum opus erit proferemus, deſcripſimus, & ex Gallico in Latinum ſermonem conuertimus: cætera capita omittentes, quæ magnarum poſtea ſeditionum fuiſſe videntur ſemi-

naria. Tum anno 1561 Piſſiaci coierant ſelecti duodecim, ac præcipui ſacramentariorum miniſtri, vt cum Epiſcopis, qui aderant, de ſumma totius doctrinæ Chriſtianæ conſultarent. Tantum autem abfuit, vt cum illis conuenirent, vt ne ſecum quidem de primo Chriſtianæ religionis ſacramento conuenire poſſent. Sed & ſibi nō liquere teſtarentur, & quæſtionem in aliud tempus & ad illas eccleſias referrent, in quibus ipſi principem locum obtinebant, his præſtigiis ſcilicet ſimplicioribus ingeniis imponentes, ac ſedulò cauentes ne quàm ſibi inuicem ſint contrarij, quámque de ſua doctrina incerti, vulgò proderent. At Metenſes Caluinianæ factionis miniſtri, illis conſtantiores (aut vt verè dicam) audaciores, vel potius diuini, eccleſiaſticique iuris magis temerarij contēptores, de iis, de quibus ſacramētariorum coriphæi illi dubitarunt, nihil hæſitantes, cæteríſque hanc veluti formulam præſcribentes, infantes gemellos, ſed nō vnius ſexus, ab obſtetricibus morte imminente tinctos, Montoij, quod non longè ab vrbe caſtellū diſtat, non multo poſt quàm epiſtolæ illæ ſcri-

ptæ fuerunt, hoc eſt anno proximo, qui annus 1562 fuit, de integro tinxerunt: Patrem, matrémque puerorum, atque eos inſuper qui Anabaptiſmo interfuerunt, ex vobis plærique nouerũt, ne quis hic nos fabulam narrare, aut falſa pro veris inſerere putet. addamus & illud, Si eũ duntaxat baptiſmum Caluiniani recipiunt, qui à legitimo miniſtro fuit adminiſtratus, vt Beza cũ ſuis ſymmyſtis, Gallicæ tranquillitatis perturbatoribus, cenſuit, ſanè quotquot in Romana eccleſia vel tincti hactenus fuerunt, vel in poſterũ tingẽtur, de integro tingẽdi erunt. Nã etſi ordinem inter ſacramenta numerat, ac recipit Caluinus, tamen in legitimorũ miniſtrorum numerum, eccleſiæ Romanæ ſacerdotes non recipit: quod illius verbis potius quàm meis vos intelligere ſatius eſt. Et quanquam Gallicè ſcripta inſtitutio, id magis diſertè explicare videtur, tamen Latinam proferam, ita autẽ habet. *Quantum ad verum presbyterij munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim cærimonia eſt, primum ex ſcripturis ſumpta: deinde quam non eſſe inanem, nec ſuperuacuam, ſed fidele ſpiritua-*

Cal. inſt. li. 4. c. 10. ſect. 28. & 13.

lis gratiæ ſymbolum teſtatur Paulus. Quod autem tertium in numero non poſui, eo factum eſt, quod non ordinarium, nec commune eſt apud omneis fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritu. Verum quum hic honor Chriſtiano miniſterio tribuitur, non eſt propterea quod ſuperbiant Papiſtici ſacerdotes. Euangelij enim ſui, ac myſteriorum deſpenſatores ordinari iuſsit Chriſtus, non victimarios inaugurari, mandatum de prædicando Euangelio, paſcendóque grege, non de hoſtiis immolandis dedit. Spiritus ſancti gratiam promiſit non ad peragendam peccatorum expiationem, ſed ad gubernationem Eccleſiæ ritè obeundam, ac ſuſtinendam. Quanquam autem mulieres tacere in eccleſia iubet Paulus, & ſiquid diſcere volunt, vt domi viros ſuos interrogent, præcipit, nec illis item pubicè docere permittit, ne viris imperare videantur, tamen eum locum ita intelligendum ſcribit Hieronymus, vt in viros ſit illis doctrina ſublata, non autem in cæteras ſui ſexus: idem & Apollo virum Apoſtolicũ à muliere viam domini edoctum fuiſſe, & plæráſque mulieres virorum inſtante penuria, vel conniuente negligentia virilia officia piè obiiſſe teſtatur. Eundem Pauli locum explicans Theodulus, *prohibuit*

1. Cor 14.
1. Timot. 2.

Hier. in c. 2. ad Titũ. Idẽ epiſt. ad principiam virginem.

prohibuit mulieri(inquit) ne in publico & communi conuentu primatum ſibi vindicaret, néve concionandi cathedram occuparet, cæterum à doctrina verbi non remouit, ſed & Paulus ipſe Andronicum & Iuniã vocat ἐπισήμους ἐν τοῖς ἀποσόλοις.i. celebres, & inſignes inter Apoſtolos, Apoſtolis autem docendi munus nemo(vt arbitror)denegarit. Quin etiam viduas & ſanctimoniales, ſic enim vocabant catechiſmum exercuiſſe, non quidem promiſcuè, ſed fœminas duntaxat rudes,& imperitas docuiſſe, iiſq; tingendis operam ſuam nauaſſe concilium Carthaginẽſe teſtatur, nec vt baptiſmum adminiſtrarent, verum vt baptiſmi ritus, & quæ poſt baptiſmum vitę ratio ſequenda eſſet, edocerent: atque id harum eccleſiæ miniſtrarum officium tum fuit. Diaconiſſas quoque in ſuo ſexu in baptiſmo miniſtraſſe, verbíque miniſteriũ exercuiſſe Hieronymus ſcribit. Quod ſi non ſolũ miniſtrorum eccleſiaſticorum, ſed & virorum Chriſtianorum penuria fuiſſet, & pueri languentis periculum imminens ſuaſiſſet: an Iuniam illam, aut has, vel ludenti hiſtrioni,vel puero,vel Iudęo,vel prophano, in baptiſmi adminiſtratione

Theodulus presb. Celeſyriæ in vlt. c. ad Rom.

Rom. vlt.

C. 12. cõcil. 4. Carthag.

Hier. in c. vlt. ad Ro.

anteferendas, aut ſaltem æquandas non putabimus? Sexus imbecillitatem ſimul & audaciam ſuſpectam habet, ac timet Paulus: cuius periculũ in publicis eccleſiæ muneribus faciundũ non putat: quæ nimirũ intelligunt, quotquot de reiiciendis mulieribus loquuntur. At miniſteriũ quod his qui foris ſunt (vt ille loqui ſolet) & in Chriſti eccleſia nõ numerantur, tũ demum creditur, quũ aliter ſubueniri nõ poteſt, nec mulieribus (ni fallor) quoties eadem neceſſitas occurreret, idem denegaſſet. Quod ne nimis nouum fortaſſe videatur, quandoquidẽ ex nouo in promptu habere non poſſumus, exemplum ex veteri inſtrumento petamus. Sephoram

Exo.4. proferimus, quæ filium circuncidit, Moſe ob intermiſſam eiuſdem circunciſionẽ graui valetudine affecto, vt Hæbrei interpretantur. Quanquam non deſunt, qui non patrem, ſed filium ipſum in morbum incidiſſe exiſtimant: vter fuerit non laboro, dum & ægrũ conualuiſſe, & declaratam fuiſſe vim circunciſionis intelligo. Peccaſſe Sephoram obiicit Caluinus, quod alienũ miniſteriũ coram Moſe inuaſerit. Sed quid profuit Moſis pręſen-

Tertull. aduerſ. Iudæos
Auguſt in quæſt. ſuper Exod.

tia, quum miniſterium per valetudinem impleri non poſſet? An officij ſui oblitus calumniatorem expectabat Caluinũ, qui illum obeundi ſui muneris admoneret? Si potuit, Sephoræ conatus prohibere, & ſuum munus obire debuit: Si non potuit, Sephorã fruſtra temeritatis Caluinus arguit: neq; enim iure accuſari poteſt, quæ in ipſo temporis articulo, vel viro, vel filio, vel vtrique ſubuenerit. Sed quandoquidem rationes deſunt, ad cõſueta præſidia confugit Caluinus, & vt ferox illius ingenium eſt, & ad maledicendum ſua natura procliue, Sephoræ quaſi ſtolidæ, impudentíque mulierculæ grauiter inſultat, quæ pręſente ſummo propheta, tantũ facinus (vt ille putat) deſignarit. Nec videt inſanus eadã opera Moſem ipſum vel ſtupiditatis, vel leſæ proditæque adeò diuinæ maieſtatis argui. Si enim peccatum atrox fuit, an Moſes tam vxorius, aut potius tã excors, atq; diuini aſſerendi cultus oblitus eſſe debuit, ꝗ vel importunę mulieris audaciã reprimere, vel quæ ſui muneris erant, aut ipſe, aut aliena opera præſtare non potuerit? Imò verò quoniam præſente ac vidente viro, circũciſionem

Sephora adminiſtrauit, viri mandato atq; authoritate adminiſtraſſe exiſtimãda eſt.

Tertull. aduerſ. Iudæos

Quanquam Sephorã ab Angelo coactã id feciſſe ſcribit Tertullianus, in quem, ſi ita videtur, aut in Moſem Caluinus ſuum etiam virus euomat, Sephorǽque æquiorẽ ſe præbeat : quæ ſi in culpa eſt, magnis authorib⁹ ſe peccaſſe teſtabitur. Sephorã prætereà peccaſſe faciamus, etſi id infiſciari iure poſſumus: quid tum? Circunciſio nimirũ quãuis non rite adminiſtrata, vera, efficáxq; nihilominus fuit, quod vel ægri recuperata valetudo declarauit. An Moſis filium de integro circuncidendũ, ſi natura ita pateretur, aut circunciſionẽ eidẽ inutilẽ fuiſſe Caluiniani dicẽt, quod legitimi miniſtri opera circunciſus non fuit? tam perfrictæ quidẽ ſunt frontis, vt nihil non audeant, ſed tamen vtrumque negaturos arbitror, & rationem neceſſitatis habituros. Alioqui qui à Laïcis (vt vocant) vel pueris, vel Iudæis, vel catechumenis, qui legitimi baptiſmi miniſtri non ſunt, vrgente neceſſitate tinguntur, tingi de integro deberẽt: quod omnis antìquitas vno cõſenſu pernegauit. Samaritanos quoque, quum olim ad Iudaiſmum tranſ

Aug. lib. 1. cõtra Creſconiũ grãm. c. 31.

ibant,rurſum circunciſos inficiatur Auguſtinus, & Nazarȩos hæreticos, qui Iudæorum circunciſionem ſimul, & chriſtianorum baptiſmũ admittebant, quum relicta pernicioſa hæreſi, ad alterutros ſe ſe conferebant, vti ab illis iterum nõ circuncidebantur, ſic à Chriſtianis de integro tingendos negat. Sic qui in hæretico rum eccleſiis tincti ſunt, ſola manuũ impoſitione reconciliantur: quod aduerſus Africanum Cypriani concilium eccleſiæ conſenſus ſtatuit,& poſteris obſeruandũ reliquit. Longè vero aliter Sephoræ exẽplum Cyrillus interpretatur: Circunciſionem enim carnis, ſpiritalis circũciſionis, *Cyril li. 4. in Ioã. c. 51* Sephoram autem eccleſiæ typum fuiſſe ſcribit,nec Sephoræ temeritatem arguit, vt Caluinus, ſed arcanam diuini conſilij rationem ſubeſſe exiſtimat. Itaque quod diuini conſilij μυστήριον vocat Cyrillus, Caluinus intolerandũ facinus appellat. Porrò quod ſingulare eſſe Sephoræ exemplum idem ait, id quidem omnino non *Cal. inſt. li. 4. c. 15. ſect. 22.* negamus, ſi Sephoram quis ſpectet, hoc eſt mulierem circunciſionis miniſtram, etſi pauca quædam alia proferre poſſumus:Sin cauſam cur illa virorum officio

functa ſit, cõſiderabit, hoc eſt, neceſſitatem, ſingulare eſſe non poteſt. Hæc enim interuenire ſæpenumero ſolet: quod in ſacris literis interpretandis potiſſimum perpendere debemus: *quæcũque ſcripta ſunt (inquit Paulus) ad doctrinã noſtram ſcripta ſunt.*
Rom. 15. Verum hic non perſonas, ſed cauſas ſpectare, atque expendere in primis conſentaneum eſt. *An non legiſtis, (inquit Chriſtus)*
Matt. 12. *quid fecerit* Dauid, *quando eſuriit, & qui cum eo erãt, quomodo intrauit in domum* Dei, *& panes propoſitionis comedit, quos nõ licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? an non legiſtis in lege, quia ſacerdotes in tẽplo ſabbatum violãt, & ſine crimine ſunt?* Videtis quid poſſit, neceſſitas (quæ vt vulgò dici ſolet) nulla lege cõſtringitur. Sed & Beza ex ſingularibus exẽplis nonnunquã axioma in
Beza de re genere cõſtitui poſſe ait. Sic enim ex vni⁹
Sacra. li. 2. Abrahami exemplo, hominem nõ ex operib⁹ ſed fide iuſtificari Paulus colligit. Quod argumẽtandi genus in Abrahamo validiſſimũ fuit, vel quod vna omnibus, eadémque ſalutis ratio conſtet, vel quod Abrahamus apud Iudæos iuſtiſſimus haberetur, vt qui illi iuſtitiã detraxiſſet, omnibus detraxiſſe videretur. In aliis vitio-

ſum eſt,niſi eadem in cęteris ſubeſſe ratio cõprobetur. Quid? quod ex turbine quo Ionę agitata eſt nauis,nullũ vnquam ventum oriri, vel ſurgere Caluinus infert,niſi certo aut ſpeciali(vt ille loquitur)Dei iuſſu? Quod etſi abſurdiſſimũ eſt,neq; enim communis hîc cauſa,vel probabilis ratio proferri poteſt,tamẽ id aliis, niſi ſeipſum vnà accuſare volet, obiicere non poteſt. At in Sephoræ exemplo communẽ cauſam agnoſcimus,nempe neceſſitatẽ, quæ quoties occurrit,non vt decet,ſed vt licet opportunis auxiliis vtendũ eſt.Hinc laudãtur duæ Hæbrææ mulieres,quæ patria capta, quum Iudaicas leges obſeruare prohiberentur,filios nihilominus circunciderunt. Cur autem mulieribus nunc tam iniqui ſint Caluiniani, vt illis nihil non denegent,nunc erga eaſdem tam liberales, vt nihil non permittant. Mulieres in eccleſia tacere iubet Paulus, Tertullianus,& omnis antiquitas loqui vetat. At Caluiniani, cæteríque noſtræ ætatis hæretici, mulieribus promiſcuè cum viris hymnos publicè in templis modulari, non ſolum permittunt,ſed etiam iubent. Quis verò iſtud vnquam, niſi ab hæreti-

Cal.inſti li. 1.c. 16.ſect. 7.

2.Mach. 6

ciſ fortaſſe, factum dicere poteſt? accuſatur hoc nomine ab Hieronymo Pelagius, ab hiſtoricis eccleſiaſticis Paulus Samoſatenus, ab Epiphanio Euchitæ ſiue Meſſaliani. Quid enim magis hominum mentes permouere ac pellicere poteſt, quam ſuauis cantus, præſertim verò muliebris vocis numeroſe librata modulatio? Quàm multi non tam verba ipſa, quàm dulces vocum notāt flexiones? itaque multo plures iſtæ cantiones, pſalmorúmque modulationes, quā ipſę miniſtrorum Euangelicorum (vt ſeſe illi vocant) conciones, ad ſeſe illexerūt. Si mulieribus loqui in publicis conuentibus non licet, nónne canere, & vocis ſuauitatē oſtētare multo minus licet? Quod ſi Paulum, Tertullianúmque de docendi functione loquutos putant, audiant quomodo vtrunque antiquus ſcriptor interpretetur Cyrillus Hieroſolimitanus. *Conuentus porrò virginalis (inquit) ſic congregetur, vt vel pſallat, vel oret, vel legat: ita vt labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perueniat: Mulieri enim in eccleſia loqui non permitto. Et nupta quoque ſimiliter agat, & oret labia mouendo, vt naſ-*

Cyril. Hier. in præf. Catechef.

catur Samuël, ∨t ſterilis anima tua pariat exaudientis Dei *ſalutem*. Sed quid Cyrillum profero, quum ſeſe ſatis ipſe Tertullianus interpretetur. *Non permittitur (inquit) mulieri in eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ∨llius ∨irilis muneris, nedum ſacerdotalis officij ſortem ſibi ∨endicare.* Videtis quomodo loqui & docere tanquam diuerſa collocentur, alterumque alteri, vt maius quiddam ſubiungatur. Audiamus, & id Pelagio ſub alieno nomine improperantem Hieronymum. *Nec ſufficit tibi (inquit) dediſſe agmini tuo (mulieres intelligit) ſcientiam ſcripturarum, niſi earum ∨oce & canticis delecteris. Iungis enim, & ponis in titulo quod & fœminæ Deo pſallere debeant: quis enim ignorat, pſallendum eſſe fœminis in cubiculis ſuis abſque ∨irorum frequentia, & congregatione turbarum? Verum tu donas quod non licet: ∨t quod ∨erecundè facere debeant, & abſque ∨llo arbitro, magiſtri authoritate proclament.* quod etiam concilij Conſtantinopolitani authoritate, in hęc verba confirmatur: *Ne liceat mulieribus celebrationis tempore loqui, ſed ∨t eſt ∨ox Pauli, ſileant.* Si verò nobis obiicient virgines ſacras (vt Romanæ eccleſiæ mos eſt) in ſuis templis alter-

Hier. lib. 1. aduer. Pela.

c. 7. conc. 6. general.

nos canere hymnos, pſalmoſque modulari, illud primum animaduertant virgines iſtas haud quaquam promiſcuè cum viris, ſed Deo, ſibíque canere, hoc eſt, in priuatis ſuis monaſteriis, quæ ab hominũ frequentia ſeparata eſſe debent: quod nomen ipſum indicat, & antiquæ diſciplinę ſeueritas iubet, vt nemini offendiculo eſſe poſſint. Quemadmodum & in monaſteriis à Paula inſtitutis, virgines olim cecinisse, teſtis eſt Hieronymus: & in aliis monaſteriis id moris tum fuiſſe, ſcribit Auguſtinus. Quòd ſi hoc noſtro ſeculo, monaſteria paſſim adeundi, ipſaſque virgines conueniendi viris libera aliquãdo ſit poteſtas, iſtud nimirum temporum iniquitati, diſciplinæque violatæ tribuendum eſt.

Hier in epitaph. Paulæ

Aug epiſt. 109. de reg. monach.

NEQVE porrò tam moroſi ſumus, vt nudis Chriſti verbis adducti, quibus baptiſmi neceſſitatem indicat, Chriſti gratiam, Chriſtianorúmque ſalutem ſacramẽto prorſus addictam putemus, vti Caluinus, Caluiniámque falſò calumniantur. Multum vtique ab ea ſententia abſumus: hominem enim fide præditum, ſi à baptiſmo maior aliqua neceſſitas pro-

Aug. li. 4. aduer dona. c. 23.

Ambro. de

hibuerit, necdum tinctus mortem obierit, in beatorum numero collocamus, eorum ſcilicet de quibus bonam ſpem, certamque, niſi quid aliud obſit, concipere debeamus. Sed inter infantulos, aut in matrum vteris adhuc concluſos, aut præ ætate nondum rationis compotes, & eos qui prouectiore ætate ratione ſunt prędití, multum profecto intereſſe palam eſt: In his enim quoties vrget neceſsitas, vel martyrium (vt vocant) alterum baptiſmum, & ſanguinis lauacrum appellat Tertullianus, vel fides priuata agit, & baptiſmi vicem implet: in illis nec fides priuata eſſe poteſt, nec aliud præter martyrium, quod baptiſmi vice fungatur, ſacræ literæ prodiderunt. Aut igitur cum Pelagianis peccatum originis non natura, ſed ſola imitatione homini ineſſe, aut infantulos nondum baptiſmo ſuſcepto mortuos, promiſſa ſelectis fœlicitate priuatum iri fateamur, neceſſe eſt. Sublata enim hæreditaria ex parentibus ſanctificatione (quam prorſus euerſam, exploſamque confidimus) quum inter fidelium, infideliumque liberos nihil interſit, de vtriſque eandem ſententiam non fer-

morte valẽt. imp.
Bernardus epiſt. 77. ad magiſt. Hugonem de S. victore.

re non poſſumus: Nam ſi illis ſanctificationem affingimus, quid decedenti in matris vtero, infantulo accidat videamus. Mortuum quippe ſanctificatio in cœlum rapit, eundem peccatum originis cœli aditu prohibet atque excludit. Duobus itaque locis conſiſtat neceſſe eſt, quod ne de Chriſti quidem corpore Caluiniani admittunt. Hinc ergo aut peccatum originis, aut hæreditariam hanc ſanctificationem commentitiam eſſe conuincimus. Porrò peccatum originis concors omnium ſeculorũ fides recepit. Supereſt vt hæreditariam ſanctificationem à Caluinianis inuectam, impium, Chriſtianæ doctrinæ repugnans, multis erroribus intricatum, infantulis prorſus exitiale commentum exiſtimemus.

QVANQVAM autem Caluiniani Ioannis locum, quo neminem, niſi prius ex aqua & ſpiritu fuerit renatus, in regnum Dei introire pronuntiat, in alium ſenſum detorquent, ac de baptiſmi ſacramento intelligi negant, proferuntq; ex ipſo etiam Ioanne, aliam non diſsimilem loquendi formulam, quum ait, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis*

Ioan. 3.

Ioan. 6. verſ. 51.

eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. vbi nec ſacramentum corporis,&ſanguinis Chriſti,aut cœnam dominicam(vt illi loqui malunt)intelligi etiam confirmant: addunt præterea eos qui Euchariſtiam inde infantibus porrigendam iudicarũt, Romanæ Eccleſiæ ſententia damnatos. Tamen vel illis,ſi ſe ſolito nõnihil ęquiores præbebũt, vel ſaltem auditori, non peruicaci ſatisfacere difficile non erit. Tria in ſacris literis interpretandis potiſſimum conſiderare debemus, naturam rei de qua agitur, cæteros locos,qui eadẽ de re tractant, num ex his germanam interpretationem eruere poſsimus: poſtremò eccleſiæ vniuerſæ iudicium.Ea igitur ordine perſequamur. Baptiſmus aditus eſt in Chriſti eccleſiam: hoc reſerante(vt inquit Caluinus) eccleſiæ ianuæ reſerantur, non reſerante, occluduntur. Cœna Domini,aut ſacramentum corporis Chriſti, eorum eſt, qui iam in Chriſti eccleſiam recepti, iudicio etiã pollent,alioqui iis qui nondum præ ætate rationis ſunt compotes, haud quiquã debet exhiberi vt diſertè ſcribit Paulus. *Probet (inquit) ſeipſum homo,& ſic de pane illo edat, & de calice* 1.Cor.11.

bibat. Qua ratione maximè, eccleſia Romana imò verò οἰκουμενικὴ, hoc eſt, vniuerſa, eos qui cœnam Domini infantibus impartiebantur, iure damnauit. Hinc baptiſmum neceſſariò adhibendum, vt quis inter Chriſtianos connumeretur, aut eccleſiæ ſit membrum, (vt loquuntur) perſpicuũ eſt. At de cœna nihil tale reperire eſt, imò verò tantum abeſt, vt neceſſariò ſemper ſit adminiſtranda, vt pueris antequam rationis ſint compotes, meritò denegari debeat. Adhæc baptiſmus ante cœnam inſtitutus fuit. Hæc enim ſub ipſam Chriſti mortem, quaſi teſtamento legata eſt. Baptiſmus à Ioanne baptiſta inchoatus, mox Chriſti initiatione omnibus numeris abſolutus, magno temporis interuallo cœnam anteuertit. Quid? quod Chriſtus apoſtolos ad propagandum euangelium mittens, vt tingant eos qui crediderint, præcipit, non item vt iiſdem cœnam adminiſtrent. Et Caluinus ipſe ait, infantulos, etiam ſi illis cœna non exhibeatur, alio genere cibi à Chriſto paſci, at in Chriſti eccleſiam non niſi baptiſmo velut deferente ingredi. Ioannem præterea ex aliis interpretemur. *Qui credi-*

Matth.26. *Matt.3.* *Matth.vlt.* *Cal.inſt.l.4 c.16.ſect.31.* *Idem eod.li. c.1.ſect.20.*

derit (inquit Marcus) & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quum hic de baptiſmo, qui docendi functioni ſubeſt.i. adultis adminiſtrato loquatur, quibus priuata& actualis (vt vocant) fides, vt ſalutem conſequerentur, niſi baptiſmus accederet, haud ſatis fuit. Quid de illis dicemus infantulis (inquam) qui aliena fide per baptiſmum in Chriſti familiam .i. eccleſiam adoptantur? nonne multo magis, imò verò neceſſariò baptiſmus illis erit adminiſtrandus? Quanquam mox dum ſubiungit, *Qui vero non crediderit, condamnabitur*, non repetit verba illa, *nec baptizatus fuerit*. tamen non ideo omiſſum membrum iſtud putant ſacrarum literarum periti, quod baptiſmus non ſit neceſſariò adhibendus, vt quis ſalutem conſequatur. Sed quod ea vrgere aliquando neceſſitas poteſt, vt omiſſus non noceat, fideſq; vt ſupra docui, baptiſmi vice fungatur. Nullũ enim effatum tam certum eſt, quin aliqua nõnunquam exceptione reſtringatur. Sed qui rationis ſunt compotes, de quibus duntaxat loquitur Marcus, ſi fide carent, ſalutis, vitæque æternæ compotes eſſe nullo modo poſſunt. Nemo enim ſalutis

Bern. ep. 77.

compos eſſe poteſt, niſi idem in Deum credat, hoc eſt, Deum fide amplectatur: Id vero eſt Deum talem agnoſcere, qualẽ ipſe ſeſe declarare, qualiſve nobis inno teſcere voluit: declarauit porrò ſe diuinis oraculis, hoc eſt, veteris, nouique inſtrumenti ſacris eloquiis, & in vnico filio Ieſu Chriſto conſpiciendum, apprehendendumque præbuit. *Hic eſt filius meus (inquit) mihi acceptiſſimus, ipſũ audite.* qui igitur Chriſtum fide non amplectitur, ſalutis compos eſſe non poteſt: quam tamen infantuli non priuata, ſed aliena, hoc eſt, ſuſceptorum, eccleſiæque fide non ſine ſingulari quodam Dei beneficio, ac priuilegio conſequuntur. *Sine fide enim (inquit Paulus) Deo acceptus eſſe, haud quiſquam poteſt.* Addamus circuncisionem baptiſmi typum neceſſariò olim adminiſtratam. quid de iudicio vniuerſæ eccleſiæ dicam? quæ priorem Ioannis locum de baptiſmo ſemper interpretata eſt. Alterum, etſi de cœna intellexit, tamen infantibus eam porrigendam negauit, quod præ ętate ſeipſos probare non poſſint: non quod hic locus de cœna non intelligatur, vt temere Caluiniani aſtruunt. Quanquam in Romana

eccleſia

eccleſia infantibus cœna aliquando ad- *Innocẽ.pap.*
miniſtrata eſt,idque Auguſtini ſeculo re- *ad patres mi*
ceptum fuit. Ioannem autem mirandum *leuitani cõc.*
in modum illuſtrabimus,ſi quàm variè in *Aug.ep.106*
ſacris literis vita vſurpetur, ediſſeremus. *et l.1.de pec.*
aliquando enim ea deſcribitur, quæ piis, *merit.& re-*
cum impiis eſt communis: veluti quum *miſſ.c. 20.*
vtrique voce Chriſti ad extremum illud *& aliis ple-*
iudicium properantis excitabuntur. Vita *riſque locis*
etiam nõnunquam ea nuncupatur,quam *Cypr.ſermo.*
vocant ἑτερογενῆ, ab hac noſtra vita ſcilicet, *de lapſis.*
ſpecie,naturáque diuerſam,quod ſpirita-
lis ſit,à Dei ſpiritu, qui vera vita eſt, pro-
fecta. Hinc Paulus. *qui ſuſcitauit Ieſum à mor* *Rom.8.*
tuis, ſuſcitabit & mortalia corpora veſtra, pro-
pter inhabitantem ſpiritum in vobis. Poſtremò
vita quędam eſt, ὁμοιογενὴς, hoc eſt,eiuſdem
cum noſtra carne generis, quam Chriſti
caro, carni noſtræ ſacramento Euchari-
ſtiæ infuſa ſuppeditat: in quam ſenten-
tiam poſteriorem Ioannis locum antiqui
ſcriptores interpretantur. Propriè enim
imprimis,& pro re nata,hoc eſt,pro argu
menti quod tractat natura,Ioannes loqui
conſueuit. Et quoniam de Euchariſtia ſer
monem inſtituit, vitam quam Euchari-
ſtia ſuggerit, eundem indicaſſe manife-

ſtum eſt. Cuius priuatio, niſi in contemptum, aut nimis ſupina negligentia repudiatur, ſalutis priuationem neceſſariò nõ infert. Quòd ſi hunc locum de alio cibi genere cum Caluinianis interpretari volemus, vel de ſpiritali manducatione, vt etiam antiqui ſcriptores interpretantur, & primam poſtremamque interpretationem recipiunt, quid id oberit, modo nullam ſumendæ cœnæ neceſſitatem imponi intelligamus? Nam quamuis eadem prope ſit loquendi formula, tamen & vtriuſque ſacramenti natura, & alij ſcripturæ loci, & ſcriptorum eccleſiaſticorum ſimul, atque vniuerſę eccleſię conſenſus, diuerſam vtriuſque ſententiæ ex Ioanne prolatæ interpretationem indicant, vt illic manifeſta neceſſitas, hic nulla ſubeſſe confirmetur. His rationibus adducti, priorem de baptiſmo cum antiquis interpretibus, alteram de cœna, vel de ſpiritali manducatione (vt loquuntur) ac cibo, etiam cum pluribus ex illis interpretari poſſumus. Quemadmodum hiſtoriæ eccleſiaſticę Magdeburgicę authores, eiuſdem cõcionis initium, præſertim verſum illum quinquageſimum ſecundum in-

terpretari videntur. Aiunt enim Chriſtum in hoc ſexto Ioannis capite, multa multis de cauſis propoſuiſſe, mox quinquageſimo quinto verſu ſermonem de cœna inſtituere, apertè ſignificãtes, quinquageſimum ſecundum verſum ſupra commemoratum, de cœna omnino non intelligi.

BEZA quoque Caluinum ſequutus eorum opinionem magis probat, qui illam Chriſti concionem non de cœna, *ſed de perpetua ipſiſſimi Chriſti communicatione intelligunt, quæ fit per fidem, etiam quum ſimplex promiſſio abſque externis adiunctis ſacramentis apprehenditur*. Sic enim Caluinus in hunc Ioannis locum ſcripſerat: *Vident omneis apertius eſſe, quod intelligi voluit Chriſtus: animas noſtras ſpirituali carnis & ſanguinis eius participatione ali in cœleſtem vitam*. Tametſi vna cum Caluino ſpiritalem manducationem, vt à corporali ſiue reali (vt loquuntur) à noſtris diſcernitur, tanquam inanem ideam reiicit, *& nos inſeri ſcribit in illud ipſum Chriſti corpus, quod nunc eſt in cœlis, & non alibi, ſiue proponatur nobis apprehendẽdum in nudo, & ſimplici verbo, ſiue in ſacramentis, id eſt*, cœna & baptiſmo, quod non *Beza dialo. 1. de re ſacrament.*

Beza dialo. 2. de re ſacr. Cal. aduerſ. Heshuſiũ pag. 87. Petrus martyr de Euch. reg. 3.

minus, nec aliter in baptiſmo, quam in cœna nobis communicari Chriſti corpus exiſtimet, vti ante illum Caluinus quoq; tradidit. Sed quàm perperã ſentiant, ſuis ipſi rationibus conuincũtur. Si enim ex æquo Chriſti corpus nobis, tam in baptiſmo, quam in cœna communicatur, quî fit vt infantes ad baptiſmum Caluinus Caluinanique admittant, ad cœnam non admittant? *infantes non ſunt ferendo ſolido cibo*, inquit Caluinus: ſi reipſa idem cibus eſt, quî ex æquo, & in baptiſmo, & in cœna ſolidus non eſt? Nam quod ſolidus ſit, id ex ſe, non ex diuerſa communicandi ratione habeat, neceſſe eſt. Quid? quod pædobaptiſmum aduerſus Anabaptiſtas aſtruens Caluinus, infantes idcirco ad baptiſmum admittendos, inde argumentatur, quod quum rei ſignificatæ ſint participes, à ſigno arceri non debeant. Quum igitur vtrobique vel ſi baptiſmum, vel ſi cœnam ſpectes, rei ſignificatæ participes ſint infantes, vt Caluinus docet, cur ex æquo ad vtrunq; ſacramentum non admittuntur? Addit & illud. *In cœna iubemur nos probare, ac tum demum de pane illo ædere, & de calice bibere*, Si in baptiſmo idem panis,

Cal. inſt. l. 4 c. 16. ſe 30.

Cal. eod. lib. & c. ſect. 5.

hoc eſt, Chriſti corpus, idem calix.i.ſanguis, nobis ex æquo, ac tam verè reipſa quàm in cœna communicatur, cur hic quoque vt nos probemus non iubemur? Aut cur potius infantes qui ſe nondũ probare poſſunt, a baptiſmo nõ arcentur? vti etiã Anabaptiſtæ arcere nituntur. Longè igitur aliam in baptiſmo, aliam in cœna Chriſti pręſentiam intelligere debemus. Sed ad verſum illum Ioannis quinquageſimum ſecundum redeamus: quàm multas in ſacris literis loquendi formulas notare poſſumus ſpecie ſimiles, ſenſu prorſus diſſimiles? Petra erat Chriſt9, Ego ſum vitis, vos palmites, Hoc eſt corpus meum, nõne hic verbũ eſt, variè accipi videmus? Ex aliis igitur locis, ex natura rei de qua fit ſermo. ex cõſenſu eccleſiæ vniuerſę (vt nuper dixi) quęrenda interpretatio eſt.

HINC quoque, vt de eadem fidelia (vt in prouerbio eſt) duos parietes dealbem, Caluinianę cauillationi reſpondere poſſumus, qua locum hunc Ioannis Caluinus peruertere conatus, naſci ex aqua, & ſpiritu, nihil aliud eſſe interpretatur, quàm illuſtrari, eluiq; ſpiritu, *qui purgando, atque irrigando fideles animas, aquæ vice fungi-* Cal.inſt.l.4 c.16.ſect.26

tur. Sic enim apud Matthæum Ioannes Baptiſta prædixerat, futurum ſcilicet, vt ſuos Chriſtus tingeret, ſpiritu ſancto & igni: vbi ignis vim duntaxat, efficaciamq; ſpiritus deſignat. Et hæc quidẽ Caluinus. Quid? ſi reſpondeo in plæriſque græcis codicibus, nullam ignis fieri mentionem, vt etiam notauit Eraſmus? ſanè Caluiniana ex ſimili loquendi forma ducta argumentatio prorſus concidet. Sed vt vulgaria exemplaria ſequamur, vtrumq; locum nihilominus de baptiſmi ſacramento intelligendum, & alterum ex altero interpretandum arbitror. Tum vero ignem & aquam vtrobique vim quidem deſignare diuini ſpiritus. Verumenimuerò illic ignẽ additum, non ſolum vt ἐνέργειαν illam ſpiritus in baptiſmo deſignaret, ſed & fortaſſe, vt ſpeciem, qua diuinus ille ſpiritus nobis aliquando repreſentaretur, oſtenderet, vt ſcriptores eccleſiaſtici annotarunt. Specie ſiquidem ignis, dũ Apoſtolis die Pentecoſtes vberius infunditur, ſeſe conſpiciendum præbuit. Sicut hic aquam additam, vt & eandem ἐνέργειαν ſignificaret, & elementũ inſuper eſſe declararetur, quod baptiſmi miniſterio ſubſeruiret, eſſetque

Cyrill. Hier. catech. 3.
Hiero. in c. 2. Ioel.
Aug. lib. 2. cõt. litt. Petiliani.
Cal. inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 8.

diuini ſpiritus ſedes : ſic enim vocat aquam baptiſmi Tertullianus, *quam animare ait, & de priſtina ſanctificationis prærogatiua, ſacramentum ſanctificationis conſequi inuocato Deo. Superuenit enim (inquit) ſtatim ſpiritus de cœlis, & aquis supereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt, iiſdem in ſalutem hominis temperandis angelum Dei ſanctum adeſſe teſtatur, ſicuti in piſcina Hieroſolymitana angelus Dei aquam turbabat, in quam qui primus inſiliiſſet, curabatur. Quæ figura corporalis medicinæ, vt ille refert, ſpiritalem medicinam baptiſmo conferendam ſcilicet canebat*. Baptiſmo deleri mortem per ablutionem delictorum, eximi rearum (ſic enim loquitur) eximi & pœnam idem diſertè ſcribit. Præterea hunc Ioannis locum de baptiſmo interpretatur, indéque baptiſmi neceſſitatem infert. *Vitalem etiam baptiſmi aquam, & ſalutarem* appellat Cyprianus, qua abluti vitam & ſalutem conſequuntur. Cyrillus vero Hieroſolymitanus eundem Ioannis locum diligenter interpretatur. *Non tanquam aquæ ſimplici ſtudeas huic lauacro (inquit) ſed vt ſpiritali gratiæ quæ cum aqua datur. Nam vt illa quæ in idolorum delubris offeruntur, quum natura ſint pura,*

Tertull. li. de baptiſmo.

Cypr. l. 1. ep. 6 ad magnū

Cyri. Hier. catech. 3.

inuocatione dæmonum impura efficiuntur. Sic contra aqua ſimplex per ſancti ſpiritus, Chriſti et patris inuocationem, accepta virtute, ſanctitatem conſequitur. Quum enim duplex ſit homo, ex anima & corpore compoſitus, duplex quoquê purificatio incorporea quidem incorporeo, corporea vero corpori. Et aqua ſanè mundat corpus, Spiritus autem ſignat animam, vt abluti in corpore aqua munda, repurgati in corde accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam deſcenſurus es, non aquæ ſimplicitati mentem adhibe, ſed ſpiritusſancti virtute ſalutem ſuſcipe. Nam ſine vtriſque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego ſum qui dico, ſed Dominus Ieſus Chriſtus, ille qui eiuſdem rei poteſtatem habet, Niſi quis (*inquit*) *renaſcatur deſuper, & addit, ex aqua & ſpiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Neque ſi quis aqua baptizetur, abſque ſpiritu, perfectam habet gratiam, neque ſi quis bene compoſitis, probiſque ſit moribus, non recipiat autem ſignaculum aquæ, intrabit in regnum cœlorum.* Hæc ille At Cyrillus Alexandrinus in hunc ipſum locum ita ſcribit. *Quemadmodum viribus ignis intenſius aqua calefacta non aliter quam ignis vrit, ſic ſancti ſpiritus operatione ad diuinam aquæ reformantur vir-*

tutem, qua baptizati corpus abſtergunt.
Porrò quum vna cum Irenæo Caluiniani ſacramentum re terrena, & cœleſti conſtare fateantur, aquam à ſpiritu aliud quiddam eſſe manifeſtum eſt. Alioqui argutiarum ſuarum ſpecimen aliquod ædant. Et quid in baptiſmo terrenum ſit, quid item cœleſte commonſtrent, aut aquam à ſpiritu diuerſam eſſe fateantur. Verum enimuerò vt nouum quid ſemper parit Africa, ſic iſti noua ſemper, ſed à veterib⁹ hæreticis procreata mõſtra nobis proferũt, ac duos antiquorũ hæreticorũ miſcẽt errores. Manichæi ſenſile ſacramentũ, hoc eſt, aquã reiiciebant: Pelagiani inſenſile, id eſt, vim ſpiritus non admittebant: vtrumque errorem amplectuntur Caluiniani. Et ſi enim aquam non reiiciunt, at eadem tamen qua Manichæi ratione abutũtur, nempe res ſpiritales terrenorum elementorum opera, haud quaquam adminiſtrari, ac ſic demum in baptiſmo cum Pelagianis, vim omnem diuini ſpiritus euertunt. Quid Hieronymum, Auguſtinum, ac cæteros huius notæ ſcriptores eccleſiaſticos commemorem? quorum ſcripta huc

Auguſt. de hær. & lib. 2. contra 2. Pelag. epiſt.

congerere nimirum ſuperuacaneum eſt. Quamuis itaque ignis & aqua, ille à Matthæo, hæc à Ioanne, addantur, tamen & in eundem, & diuerſum ſcopum adduntur, vt ſupra notaui, & vtrobique baptiſmus diſignatur. Nam apud Matthæum, apud Marcum item, & Lucam, quum Ioãnes Baptiſta baptiſmum ſuum cum Chriſti baptiſmo cõferat, certo certius eſt, eum de baptiſmi fuiſſe ſacramento loquutum. Quum autem in Ioannis Euãgelio, natiuitatem ex carne cum natiuitate ex ſpiritu, aut naturalem generationem cum renaſcentia, ſiue regeneratione Chriſtus conferat, eadémque loquendi forma, quam apud Matthæum Ioannes de baptiſmo loquens, vſurpauit, vtatur, Chriſtum de baptiſmi quoque ſacramento loquutum iure aſſeuerare poſſumus: quam intetpretationẽ vnus, idémque omnibus ſeculis receptus vniuerſæ eccleſiæ conſenſus ſatis confirmat.

ID autem in tota hac diſputatione cæteríſque quæ de diuinæ gratiæ nobis per ſacramenta infundendæ ratione ſuſcipiuntur, Caluinum, Caluinianóſque ma-

ximè fefellit, quod Zuinglium ſequuti, ſacramenta nuda collatæ nobis gratiæ ſigna, & quaſdam velut teſſeras ſolum modo eſſe exiſtimant, ac gratiam quam baptiſmo abſtulerunt, velut ſuppoſita iſta ſua ſanctificatione compenſare nituntur. In qua ſententia quum aliquando Bucerus fuiſſet, tandem ad ſe rediit, eandémque retractans, gratiam per ſacramenta conferri ingenuè confeſſus eſt: Teſtatur id & cõfeſſio Auguſtana, baptiſmúmque ad conſequendam ſalutem neceſſarium eſſe declarat. Quod ſi baptiſmo confertur gratia, peccatorũ remiſſionem antecedere neceſſarium eſt. Hic enim primus (vt ſupra dixi) noſtræ iuſtificationis eſt gradus. Baptiſmum porrò nudum non eſſe ſignum, baptiſmi typus edocet, alioqui vi cœlitus infuſa τὸ τυπωθὲν longè typus ipſe ſuperaret, ac multo pluſquã ipſum ſacramentum, eiuſdem typus & vmbra poſſet. Piſcinæ Hieroſolymitanæ aquam baptiſmi typum nemo inficiabitur. Ea ab angelo turbata vim in ſe cœleſtem. qua ægros curaret, ſtatim in ſe recipiebat. Nec ante ægri conualeſcebant, quàm aqua mergerentur. Nónne multò magis

Bucerus in c.3. Matth.

Ioan.5.

diuinus ille ſpiritus aquæ baptiſmi infuſus, ipſa tinctione purgabit? An maiorem ſpiritus gratiam legis Moſaicæ vmbris, quàm euãgelicæ veritati, ſacramentiſq; adeò à Chriſto inſtitutis, aſcribere audebimus? Quid? quod ſacramenta nuda eſſe ſigna (ſiquando illis obiicimus) Caluiniani ſedulò negant, grauémque ſibi iniuriam hîc fieri quiritantur, *ac tam verè Chriſtum in cœna eſſe aſſerunt, quàm verè ipſa Chriſti verba indicant, Tam verè offerri à Deo, & à fidelibus percipi non tantum fructum corporis & ſanguinis, ſed ipſiſſimum etiam corpus & ſanguinem Chriſti, quàm verè offeruntur externa illarum rerum ſymbola, id eſt, panis & vinum, tam verè baptiſmo, quam cœna, nos vnũ cum Chriſto fieri*. Hoc igitur vt & in baptiſmo recipiant conſentaneum eſt. Nimirum vt ablutio exterior, interiorem ſecũ trahat, atque vt tinctum vtraque ſimul purgare confirmetur. Quum enim vnà cum veteribus ſacramenta re terrena & cœleſti conſtare fateantur, aquam à ſpiritu aliud quiddam eſſe, & vtrumque in baptiſmo eſſe fateantur, neceſſe eſt, vt animam ſpiritus, perinde atque aqua ipſum corpus, abluat. Addo baptiſmum ſi-

gnum eſſe non poſſe, quin ſit ſacramentum, ſacramentum (inquam) quod re cœleſti, terrenáque conſtet: neceſſario itaque & ſemper efficacem adeſſe ſpiritum, & baptiſmum non inane eſſe ſignum cōficitur, hoc eſt baptiſmum, non ante collatæ, ſed illius quæ in ipſa aquæ immerſione per verbum Dei exhibetur, ſanctificationis eſſe ſignum. Nec ſimplex aut nudum eſſe ſignum, ſed & ὄργανον quo gratia ipſa homini conferatur. Quemadmodum hominē fide iuſtificari Paulus aſſerit. Deus enim eſt qui iuſtificat, ſed fide tanquam inſtrumento, vtitur. Hinc non ſolum ex aqua, ſed etiam è ſpiritu renaſci dicimur. Aqua purgationis ſymbolum eſt, ſpiritus ipſe re vera purgat, & Chriſti ſanguinem nobis applicat, vt loquuntur. Itaque baptiſmus & purgationis ſignum eſt, & purgandi efficaciam comprehendit, ac re vera purgat. Sic nos in Chriſti mortem tingi, conſepeliri item in eius mortem ait Paulus: *non quod per baptiſmum admoneamur duntaxat, vt quodam mortis Chriſti exemplo, concupiſcentiis noſtris moriamur, & exemplo reſurrectionis in vitam ſuſcitemur* (vt ſcribit Caluinus) ſed quod etiam per ba- Cal. inſt. li. 4. c. 15. ſect. 5.

ptiſmũ mortis Chriſti,&reſurrectionis re vera ſiamus participes, Chriſto inſeramur, Chriſtum induamus, vnáque cum illo coaleſcamus:Nã ſicut ſurculus alimẽtum à radice trahit, ſic nos per baptiſmũ mortis Chriſti ἐνέργειαν vnà cum carnis maceratione adipiſcimur,vti & reſurrectionis,vnà cum viuificatione ſpiritus.Sic per baptiſmum peccato mori, & iuſtitiæ viuere dicimur: quod & peccato liberemur, & in vitæ nouitatem reformemur. Si autem ita baptiſmum acciperemus, nempe vt ſit ſignum, ſiue obſignatio, aut ſigillum iam collatæ nobis gratiæ, quid nouæ ſacramenta, à veteris legis ſacramentis differrent? Quid à circunciſione baptiſmus?Circunciſio enim in Abrahamo, gratiæ iam collatæ, hoc eſt iuſtificationis fidei ergò illi exhibitæ, ſigillum fuit,(vt inquit Paulus)*ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum fidei, quæ fuerat in præputio.*

*Rom.*4. In Abrahami poſteris,qui octauo die, circuncidebantur, ſignum fuit iuſtificationis conferẽdæ,vt ſcribit Auguſtinus, aut quæ in ipſa circunciſione, nõ tam vi circunciſionis,quam fœderis conferebatur. Id vt euidentius explicetur,expendatur

*Aug. lib.*4. *de baptiſ. cõtra Donat. c.*24.

ſacramenti definitio, vti à Caluino proponitur. *Sacramentum (inquit) eſt diuinæ in nos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione.* Nónne hæc definitio circuncisioni pulchrè conuenit? Maximè inquam: Nã circuncisio erat diuinæ erga Iudæos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum, cum mutua illorum erga Deum pietatis teſtificatione, neque id inficiatur Caluinus. Sic enim ſcribit. *Quicquid ergo nobis hodie in ſacramentis exhibetur, id olim in ſuis recipiebant Iudæi, Chriſtum ſcilicet cum ſpiritualibus ſuis diuitiis*: An verò ſacramenta Chriſtiana, nihil à Iudaicis different? *Nónne noſtra numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute ſunt præſtantiora?* vt ſcribit Auguſtinus. An noua antiquis nulla re in re præſtabunt? nulla prorſus, ſi Caluino creditur. Atqui cum legis prę́ſtantia magna ex parte, à ſacramentorum, ſacerdotúmque dignitate pendeat, ſanè, quandoquidẽ ita Caluino placet, magnus ille noſter ſacerdos Ieſus Chriſtus, Iudaico ſacerdoti, lex gratiæ, vt vocant, duræ illi legi nihil præſtet: Siquidem illius ſacramenta, huius ſacramentis nulla in re prę-

Cal. inſt. li. 4. c. 14. ſect. 1.

Eodẽ li. & cap. ſect. 23

Auguſt. de doct. chriſt.

ſtant.Neque vero ſacerdotes noſtros nobis obiiciant Caluiniani, & cum veteris legis ſacerdotibus conferant.Nam ſacerdos noſter Ieſus Chriſtus *ſibi ſacramentorum ſuorrum poteſtatem reſeruauit, non eam trāſmiſſurus in aliquem ſeruum*, vt idem ſcribit Auguſtinus. Et id quidem optima ratione. Nam quum in legis nouæ ſacramentis vnà cum viſili ſigno, gratia inuiſilis conferatur,alium ſigni,alium gratię illius naturæ vires exuperantis miniſtrū eſſe oportuit:Quod de veteris legis ſacramētis dici non poteſt. Hinc ergo manifeſtum eſt quæ Chriſtus exhibet, atque in nobis perficit ſacramēta,aliam vim habere, aut maius quiddam exhibere, quàm quæ in veteris legis vmbris,& pædagogia(vt ſcribit Paulus) exhibebantur. Falſique conuincitur Caluini doctrina, eandem vim vrriſque ſacramentis,hoc eſt,vtrique legi tribuentis: in ſacramentis enim maximè vis vtriuſque legis elucet.*Ad perfectum nihil adduxit lex, inquit Paulus.* an hanc imperfectionem etiam legi auangelicæ attribuet? *Tum verò tranſlatio ſacerdoto, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat.*Si tranſlata eſt lex, & mutata, mutata ſunt & ſacramenta, non

Aug. tractat. 5. in Ioan.

Heb. 7.

non ſolum quod ad formam (vt Caluiniani tradunt)ſed etim quoad vim,atque ἐνέργειαν: alioqui noua lex, non ſecus ac vetus nihil ad perfectum adduceret,vt loquitur Paulus. An non lex Moſaica,literæ lex dicitur: Lex euangelica, ſpiritus? Quantum ergo à litera ſpiritus, tantum à Moſaica lex euangelica differt: tantum à Moſaicæ ſacramentis, legis euangelicæ ſacramenta differunt. In illis enim litera, quæ occidit, & quædam veritatis adumbratio conſpicitur: in his viget ſpiritus viuificus, ſpiritus verax, & certus veritatis index, atque vniuerſæ eccleſiæ doctor & moderator ſempiternus.

QVOMODO autem diceremur tingi in peccatorum remiſſionem,ſi baptiſmo peccata non remitterentur? vt ſupra ex cõcilio Conſtantinopolitano,Mileuitano, Carthaginenſique docuimus, vt apertè docet Petrus nos tingi in remiſſionem peccatorum,mox ſpiritu ſancto donari, vt etiam in Leuiticum docet Cy- *Act.2.*
rillus,ſiue Origenes. Vtrius enim horum *Cyrill. li.2. in Leuiticũ*
ſint libri illi, ambigi video. Quomodo dixiſſet Cyprianus,*infantes quoquo tempore,* *Cypria. lib.*
vel ſtatim à partu tingendos,vt ſi fieri poteſt nul *3. epiſt. 8*

la anima perdatur, niſi infantes peccato originis corruptos naſci exiſtimaſſet, & peccata baptiſmo remitti pro confeſſo habuiſſet, quod ſub finem eiuſdem epiſtolę diſertè confirmat. *Quanto magis*(inquit)*à baptiſmo prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quod ſecũdum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. Qui ad remiſſam peccatorũ accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata.* Et mox neminẽ à baptiſmo, atq; gratia Dei debere prohiberi colligit. Alio loco etiã peccatorum remiſſionem baptiſmo dari apertè docet. Et ante Cyprianum, Tertullianus de iis loquens, qui ius baptiſmi conferendi habent, ita ſcribit: *Alioqui etiã & laicis ius eſt.* Et paulo poſt de iiſdem, *ſufficiat ſcilicet, in neceſſitatibus, vt vtaris, ſicubi, aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, quum vrget circunſtantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit.* Hic hominem perdi ait, cui baptiſmus non fuit adminiſtratus. Quemadmodum etiam Origenes ex traditione Apoſtolica, tin-

Remiſſionẽ peccatorũ legit Hier li. 3 aduerſ. Pelag. ſub finẽ Sed antiqui codices habẽt remiſſã quæ dictio Tertull. eſt perfamiliaris.

Orig. in c. 5 ad Rom.

gi infantulos ſcribit, *vt geminæ ſordes peccati per aquam, & ſpiritum eluantur.* Cyrillus autem qui ſub Conſtantio & Conſtante Impp. Conſtantini magni filiis, Hieroſolymitanæ eccleſiæ præfuit, *Baptiſmum vocat, captiuitatis liberationem, peccatorum remiſſionem, mortem peccati, animæ regenerationem, ſignaculum ſanctum, & indelebile.* Eundem iiſdem ferè verbis deſcribit Baſilius & Hieronymus *baptiſmo peccata vetera conſcindi teſtatur.* Et alio loco. *Omneis homineis, aut antiqui propagatoris Adam, aut ſuo nomine tenentur obnoxij: qui paruulus eſt, parentis in baptiſmo vinculo ſoluitur.* His accedit Cyrillus Alexandrinus. *Aquis quippe diluuij totius mundi expiata ſunt peccata (inquit) & qui in arca reconditi erant, per aquam ſalui facti ſunt. Id baptiſmi typum geſſit, per quem ſordes omneis peccatorum deponuntur, & vitæ vetuſtas tollitur.* Si Iuſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Gregorium Nanzianzenum, Auguſtinum, Proſperum, Ioannem Damaſcenum, cæteróſque anti-

Cyrill Hieroſolym. in præfatione catecheſ.

Baſil. orat. exhort ad Sac. Bap. & lib. 5. contra Eunom.

Hiero. li. 1. aduerſ. pela. & epiſt. ad octa.

Item lib. 3. aduerſ. pela:

Cyrill. li. 6. in Ioa. c. 15

Iuſtinus apolog. 2.

Clemẽs Alexand in pædag. li. 1. c. 6

Ambroſ. de Iſaac. c. vlt.

Chryſoſt homil 35. in Ioann. de probat piſcina. & homil. de Adā & Eua Greg. Nanzianz. orat. in ſanctū lauacrū. Auguſt. tract. 80. in Ioann. & quæſt. 33. in numer. & lib. 1. c. 13. contr. 2. Pelag. epiſt. Proſper. de liber. arbitr. Ioann. Damaſc. lib. 4. de orthodox. fid. c. 5.

Cal. lib. 4. *Inſt. c.* 19. *ſect.* 8.

quos interpretes proferre velim, tempus me profecto deficiet. Quid? quod Caluinus ipſe baptiſmo peccatorum remiſſionem, gratiámque conferri fatetur. Dum enim Confirmationis ſacramentum euertere conatur, & eam diſtinctionem vanam eſſe contendit, qua baptiſmo ſpiritum ſanctum ad innocentiam dari dicimus, cōfirmatione vim eiuſdem augeri, & ad pugnam ac certamē copioſus exhiberi, ita ſcribit. *Quod ſi Dei verbum conculcare pro nihilo ducebant, cur non eccleſiam ſaltem reuerebantur, cuius vbique obſequentes videri volunt? Quid autem grauius in hanc ipſorum doctrinam proferri poteſt, quam illud Mileuitani concilij decretum? qui dicit baptiſmum in remiſſionem peccatorum dari tantum, & non in adiutorium futuræ gratiæ Anathema ſit.* Et paulo poſt de ſpiritu ſancto, vel eiuſdem gratia, quæ vel baptiſmo, vel confirmatione nobis infunditur, loquens: *Quod verè in baptiſmo dabatur, in ſua confirmatione dari mentiuntur, vt furtim incautos à baptiſmo abducant. Quis iam dubitet hanc ſatanæ eſſe doctrinam, quæ promiſſiones baptiſmi proprias à baptiſmo abſciſſas aliò deriuat & transfert?* In primis animaduertendum eſt, quod con-

cilium Mileuitanum eccleſię ſententiam appellat,tum nos nimis impudentes eſſe increpat, qui in eam manibus, pedibúſque non eamus. Ergo Caluinus homo verecundus, ac modeſtus, eccleſiæ ſententian ſequatur, & vnà cum Mileuitano concilio, hoc eſt Eccleſia, baptiſmo peccatorum remiſſionem, gratiámque conferri fateatur, ne nos furtim incautos à baptiſmo abducat, alioqui doctrinam ſuam Satanæ eſſe doctrinam ne inficietur, quæ promiſſiones baptiſmi proprias, à baptiſmo abſciſſas aliò deriuet,ac transferat. Sed & alio loco per paſtores, & eccleſiæ miniſtros peccatorum *remiſſionem nobis diſpenſari* (*vt ille loquitur*) *vel euangelij prædicatione, vel ſacramentorum adminiſtratione ſcribit.* Quod ſi conferri gratiam, peccatorúmque remiſſionem diſpenſari baptiſmo fatetur, *ſi baptiſmi vim ita extenuendam non putat, quin ſigno accedat res & veritas,* (*vt ipſe ait*) *quatenus per externa media Deus operatur,* qua fronte baptiſmum nudum collatæ iam nobis gratiæ ſignum duntaxat eſſe, non autem gratiam in ipſa immerſione conferre aſſerere audet? Si enim gratiam baptiſmus non confert

Cal. inſt. li. 4.c.15.ſect. 22.

non res,ac veritas ipſa ſigno, ſed ſignum rei accederet. Videtis vt hic Prothæus ſeſe omneis vertat in facies, vt veritatem euertat: Et nunc cum eccleſia baptiſmo peccatorum remiſſionem, gratiámque conferri aſſerat, non quod Eccleſiæ authoritatem magnifaciat, ſed vt illam ipſam, illiúſque fundamenta, hoc eſt, ſacramenta peſſundet, confirmatione ſublata: nunc apertè aduerſus illam pugnet, & baptiſmum inane eſſe ſignum, nec peccatorum remiſſionem, aut gratiam conferre pronuntiet. An igitur doctrinam ſuam Satanæ eſſe doctrinam inficiari poteſt? qui núnquam cum eccleſia conſentit, niſi vt eccleſiam violet, & tandem cōmunem matrem, velut arroſo vtero vipera matricida confodiat, ac trucidet. Et hæc quidem quod ad baptiſmi vim attinet, hactenus dicta ſint, ne vel in proferendis veterum ſcriptorum teſtimoniis ſim prolixior, vel ſi in genere an ſacramenta gratiam cōferant, diſſerere velim, maiorem diſputationem ingrediar, & à noſtro inſtituto fortaſſe alienam.

Vos autem poſtrema hac mea oratione cohortabor, atque obſecrabo, vi-

ri Metenſes. vt quem hactenus tenuiſtis, eundem & vitæ antiquis moribus excultæ & paternæ religionis curſum in poſterum quoque teneatis: Neque verò vana Caluinianorum vos commenta conturbent, aut de ſtatione, quam vobis primũ Chriſtus, & ſecundum Chriſtum eccleſię vniuerſæ conſenſus, vſque ad extremum vitæ ſpiritum tuendam commiſit, dimoueant. Perpendite quæſo, perpendite (inquam) quò temeraria iſtorum progrediatur inſania: qui quum è ſeptem duo tantum ſacramenta ſibi reliqua fecerint, ita demum reliquerunt, vt nomina inania duntaxat audiamus, rem ipſam nullo modo videre poſſimus. Baptiſmo enim peccatorum remiſſionem, ac gratiam, cœnæ dominicæ Chriſti corpus & ſanguinem ſubduxerunt. Quod etſi verbis negant, re tamen aſſerere conuincuntur: his ſublatis, quid cœna à pane conſecrato, qui Catechumenis olim porrigebatur, quid baptiſmus à lotionibus Moſaïcis differet? *In cœna (inquiunt) verè ac reipſa, non ſolum meritum, & efficacia mortis Domini, ſed ipſum etiam Chriſti corpus, & ſanguis nobis communicatur,* licet pluribus locis non conſiſtat,

licet de cœlo, nō detrahatur, licet ad nos non perducatur. Nam cōtra, fides eò nos deducit, atque efficit vt reipſa ſumatur. Fides quippe(vt iidem aſſerunt) abſentia verè & reipſa repreſentat, quamuis reipſa coram non adſint, vt pote quæ ad illa ipſa nos deducat. An vero diuerſa corpora, quæ tanto locorum interuallo diſtant, nec ſuis locis mouentur, fides re ipſa vniet ac copulabit? Chriſtum nos è cœlo deducere calumniantur Caluiniani, aut ſaltem Chriſti corpus, diuerſis locis eodem temporis momento collocare. At illi contra hominem in cœlum fide euehi aſſerunt: alioqui quonā pacto cum Chriſti corpore in cœlum recepto, atque illic velut affixo(vt iidem tradunt) coniungeretur? Quod etiam his verbis explicat Beza, *Chriſtum ipſum ſanè nobis dicimus à Deo non minus offerri, aut à fidelibus percipi, quam panem & vinum. Et hactenus præſentiam corporis, & ſanguinis ponimus. Non quod nunc ſit in terris Chriſti caro, ſed quod manens in cœlis, nobis tamen per fidem in cœlum vſque euectis, verè per ſpiritus ſancti omnipotentiam communicetur in vitam æternam.* Aduerſum nos rationibus ex

corporum natura ductis, acriter pugnāt: atqui illi non minus naturæ repugnant. Vtrum enim magis naturæ humani corporis repugnat, vel vt idem Chriſti corpus pluribus locis conſiſtat, vel vt homo etiamſi loco nō moueatur, fide in cœlum deducatur, quo ſacroſancti Chriſti corporis reipſa particeps fiat? aliter autē non percipit, quàm deducitur, vt ſi reipſa non deducatur, neç reipſa particeps eſſe poſſit. Tantam diuini ſpiritus vim eſſe aiunt, vt ea etiam quæ longiſſimè ſunt diſſita, licet loco non moueantur, poſſit certiſſimè copulare: quî magis efficere id poteſt, quam vt idem Chriſti corpus pluribus locis conſiſtat? Vtrumque ſanè dogma humani corporis naturę ex ęquo repugnat. Quum tamen Chriſti corpus, & ſanguinem nominant, non imaginarium quiddam, ſed ſubſtantiam ipſam intelligere ſe iactant, verā corporis & ſanguinis κοινωνίαν admittunt, corpus & ſanguinem ſimul, & eodem tempore tot locis exhiberi non negant, quot locis ſumuntur per fidem: ita dum corpori Chriſti natura inſitas ἰδιότητας auferre pertinaſcunt, humanis corporibus eaſdem auferunt, & homines

fide in cœlum rapi falſò comminiſcuntur. Atque vbi hæc monſtra nobis obiecerunt,ad diuini ſpiritus omnipotentiam confugiunt,ſéque hoc clypeo aduerſum nos egregiè tectos exiſtimant: quem ſi quando illis viciſſim obiicimus, hoc eſt, dum in cœna realem (vt loquuntur) corporis & ſanguinis præſentiam, ſpiritus ſancti omnipotentia adeſſe profitemur, eundem nobis nihilominus excutere nituntur, neque hic eandem omnipotentiam admittunt: quaſi vero diuina vis ſiue omnipotentia plus apud illos, quàm in vniuerſa eccleſia, in hoc dogma conſentiente, aliquando poſſit. Sed quum propius vrgentur,fide Chriſti corpus nobis applicari, (ſic enim loquuntur) aſſerunt:quî autem id fiat, ſeſe ignorare profitentur,hoc eſt,ſomnia ſua tueri quidem volunt: cæterum tam a veritate aliena non negant, vt mente etiam comprehendi non poſſe fateantur. Hinc Beza plurimùm à Caluino præceptore diſſentit. Caluinus quippe vitam ex ſubſtantia corporis Chriſti in cœlo manentis,vi ſpiritus ſancti ad nos manare ſcribit, ac ſic eius carnem nobis in alimentum dari, Beza

Cal. aduerſ. Heshuſium.

fide in cœlũ nos euehi aſſerit, vt eodem Chriſti corpori paſcamur. Tametſi & hic varius eſt, & à ſeſe diſſentit ipſe Caluinus: nam docet aliquando, vt fide bibatur Chriſti ſanguis, *non opus eſſe ipſum defluere in terram, ſed nos in cœlum conſcendere, quin potius in cœlo manere oportere Chriſti ſanguinem, vt eum participent inter ſe fideles.* quod diſcipulus Beza arripuit, ac magis probauit. Ita illi omnia ſurſum deorſum ferentes, ſumma imis, ima ſummis commutantes, omnia denique miſcentes, Chriſtianam religionem prorſus à fundamentis euertunt. Quanquam quid ſibi velit Beza nõ ſatis aſſequor. *Chriſti corpus & ſanguinem à cœna hactenus abeſſe ſcribit, vt ſciamus illa nũc eſſe in cœlis & non alibi. Nos autem in terris, & non alibi. Sed tamen inenarrabili ſpiritus Dei virtute fieri, vt (ſicut verbo & ſymbolis panis & vini teſtificatur Deus) illo ipſo Chriſti corpore pro nobis crucifixo, & ſanguine pro nobis effuſo, vrrè paſcamur ad vitam æternam: quia fidei eſt præſentiſſimum, quod tanto locorum interuallo eſt diſiunctiſſimum.* Idem Chriſti corpus, & ſanguinem tot locis exhiberi fatetur, quot locis ſumuntur per fidem vt ſupra dixi. Et alio loco, *nobis in terra communicari*

Cal. aduerſ. heshuß. pag. 42.

Beza dialo. 1. de re ſacr. pag. 17.

Beza dialo. 1. pag. 21.

Idē dialo. 2. pag. 145. ſcribit) quod manet in cœlis. Atqui ſi Chriſti corpus & ſanguis ſemper ſunt in cœlo, & non alibi, & nos in cœlum fide euehimur, illúcque ſiſtimur, vt his ipſis verè paſcamur, ſanè Chriſti corpus & ſanguis diuerſis locis ſumi aut exhiberi non poſſunt, nos è diuerſis locis fide in cœlum euehi, vt illis fruamur, Beza comminiſci poteſt: niſi forte Chriſtum diuerſis cœli plagis diſcurrere, vt fide euectis ſeſe exhibeat, propiúſque ſiſtat, idem ſomniauit. Itaque à Caluino apertè redarguitur. *Sanè (inquit) dum Chriſtus, ad corpus ſuum comedendum, & ad bibendum ſuum ſanguinem nos inuitat, non eliciendus eſt è cœlo, vel cogendus, vt ſe coram ſiſtat pluribus locis ad ingerendum corpus ſuum, vel ſanguinem ori noſtro, quia abundè ſufficere debet ſacrum illud vinculum noſtræ cum ipſo coniunctionis, dum arcana ſpiritus virtute in vnum corpus cum ipſo coaleſcimus.* Cal. aduerſ. heſh. pa. 27. Hic Chriſti corpus & ſanguinem, pluribus locis ſiſti negat, vt nobis exhibeantur, & Heſhuſio inſultat, quod Chriſto nobis adeſſe non permittat, niſi ſe pluribus locis vbicunque celebratur cœna, præſentem ſiſtat. At Beza Chriſti corpus & ſanguinem eod. l. pa. 44 tot locis exhiberi, ait, quot locis ſumun-

tur per fidem,quod tamen ex ſe commẽtus non eſt, ſed à Caluino præceptore ſumpſit. Sic enim ille ſcribit. *Etſi autem incredibile videtur in tanta locorum diſtantia,penetrare ad nos Chriſti carnem, vt nobis ſit in cibum, meminerimus quantum ſupra ſenſus omneis noſtros emineat arcana ſpiritusſancti virtus, & quàm ſtultum ſit eius immenſitatem modo noſtro velle metiri. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum verè vnire quæ locis diſiuncta ſunt. Iam ſacram illam carnis & ſanguinis ſui communicationem, qua vitam ſuam in nos transfundit Chriſtus, non ſecus ac ſi in oſſa, & medullas penetraret,in cœna etiã teſtatur & obſignat: & quidem non obiecto inani,aut vacuo ſigno,ſed efficaciam ſpiritus ſui illic proferens, qua impleat quod promittit.Et ſanè rem illic ſignatam offert,& exhibet omnibus qui ad ſpirituale illud epulum accumbunt. Illic (inquit) nimirum vbicunque cœna celebratur, rem ſignatam Chriſtus offert, & exhibet omnibus qui ad ſpirituale illud epulum accumbunt.* Si vbicunque cœna celebratur,rem ſignificatam, hoc eſt corpus ſuum & ſanguinem Chriſtus offert & exhibet omnibus qui ad ſpiritale illud epulum accumbunt, vt vult Caluinus. Et cœna ſæpenumero

Cal.inſt.l.4 c.16.ſe.10.

pluribus locis eodem tempore celebratur, corpus nimirum & ſanguis Chriſti pluribus locis eodem tempore ſiſtuntur & conſiſtunt, hoc eſt, tot locis quot cœna celebratur, etiamſi mille locis eodem temporis momento celebretur, quod vel ipſi Deo ἀδύνατον & ſupra eius omnipotentiam eſſe Caluiniani putant: Et hac potiſſimum ratione corpoream aut realem (vt vocant) Chriſti in cœna præſentiam reiiciũt. Sed ad Bezam redeamus. Si fide in cœlum euehimur, vt Chriſti corpus nobis communicetur, quomodo reipſa nobis in terra communicatur, quod manet in cœlis? aut ſi nobis communicatur in terra, quod manet in cœlis, quid opus eſt, vt fide in cœlũ euehamur, quo Chriſti corpus nobis communicetur? An nos illic magis euehit in cœlum fides, quàm quum petimus, vt remittantur nobis delicta noſtra, aut quum petimus, ne inducamur in tentationem? quam porrò huius diuerſitatis rationem Beza adferet? Si non magis illic, quam hic, nos in cœlum euehit fides, nullo modo profecto idcirco euehit, vt Chriſti corpus nobis communicetur. Neque enim (opinor) quo-

ties remittuntur nobis delicta, aut quoties obtinemus, ne inducamur in tentationem, corpus & ſanguinem Chriſti nobis cōmunicari idem aſſeret: quibus orationibus quum aliud petamus, corporis & ſanguinis Chriſti communicationem quomodo reciperemus? Quæ igitur iſthæc ſunt ænigmata, aut monſtra potius & non tam delirantis, quam planè furentis hominis ſomnia? Nos fide in cœlum euehi, vt verè Chriſti corpus nobis communicetur, nos in cœlis quærere, videre, & apprehendere, quod ſymbola in terris teſtificantur, aſſerit Beza, & tamen in terra Chriſti corpus nobis reipſa communicari mox fatetur. Quid igitur profuit tam longinqua peregrinatio, ſi perinde in terra, atque in cœlo nobis communicatur? Si in cœlo ſimul, & in terra, communicatur, nonne duobus locis eidem homini, eodem tempore communicatur? Si duobus locis eidem homini eodem tempore communicatur, & homini aliter communicari non poteſt, niſi vti vel homo, vel Chriſti corpus aut in cœlo, aut in terra, præſens eſt, præſens autem reipſa nec homo, nec Chriſti corpus, vt iſti tradunt,

duobus locis eodem tempore eſſe poteſt, vt reipſa corpus Chriſti duobus locis nõ communicetur, conſentaneum eſt. Vtro igitur loco nobis reipſa communicari Beza aſſeret? An potius ex Bezana doctrina neutro reipſa communicari conuincetur? Præterea nonne quemadmodum nos in cœlum fide euehi, vt Chriſti corpus nobis in cœlo cõmunicetur, neceſſe eſt, ita & Chriſtum Deum ſimul & hominem ad terram deſcẽdere, vt nobis corpus eius in terra cõmunicetur, neceſſe erit? vnde autem hunc aſcenſum, ac deſcenſum, tanquam nouam aliquã Iacobi ſcalam Beza nobis probabit? Habẽt (ſcio) ſuum pluſquam alatum Pegaſum, quem hæc præſtare poſſe arbitrantur: fidem inquam, cui pręſentiſsimum eſt, quod tãto locorum interuallo eſt diſiunctiſsimum, ſed id reipſa fidem præſtare nõ poſſe, nos ſupra multis locis oſtendimus. Et ſi præſtaret fides, vt corpus Chriſti duobus, vel pluribus locis, eodem tempore ſiſteretur, aut conſiſteret, plus nimirum poſſet noſtra fides, quam Dei omnipotentia, quæ ex Caluinianorum doctrina idipſum efficere non poteſt. His affinia ſunt & iſta,

Chriſti

Chriſti efficaciam aut virtutem non poſſe ab eius ſubſtantia, vel carne ſeparari: ac perinde totũ Chriſtum Deum & hominẽ nobis per fidem communicari, tũ in verbo, tum in vtroque ſacramento, quamuis caro non alibi ſit quam cœlis.. Nouit enim ſpiritus Dei copulare quod reipſa, ſi ſitũ ſpectes, eſt diſiunctiſsimum; & cõiunctionem iſtam minime eſſe imaginariã, qua ſimus os ex oſsibus Chriſti, & caro de carne eius, ex Chriſti effectis intelligimus. Aut itaque veram carnem, verámque ſubſtantiam intelligit Beza, aut qualitatem à vera carne, ſubſtantiáque emanãtem: Si qualitatem, vt ὕστερον πρότερον more homerico perſequar, quum ea à vera carne, ſubſtantiáque modis omnibus differat, profectò nobis impudentér imponit, ac præſtigias ſuás apertiſſimè detegit, ſéque cum Auguſtanis nihil cõmune habere teſtatur, quibuſcum ſe veritatẽ carnis profiteri aliquando ſimulat. Sin veram carnem atque ſubſtántiám, quonam pacto conſiſtere iſtud poteſt? An ſolis efficaciam terra recipere non poterit, etiãſi ſolis ſubſtantiam non recipiat? an Chriſti vim quam ille in nos exerit, recipere nõ poſſumus, niſi eadẽ opera eius corpus, & ſanguinem, aut ſubſtantiã, vt Beza loqui-

Beza dia. 2 pag. 67. et in Summa doctr. de re ſacrament. pag. 100.

Luc. 8. tur, recipiamus? An mulier quæ ſangui-
nis profluuio laborabat, dum Chriſti vim
admirabilem experta eſt, corporis & ſan
guinis eius communicationem ſimul re-
cepit?. *Tetigit me aliquis (inquit Chriſtus) nam & ego noui virtutem de me exiiſſe*. Si vis illa, aut efficacia, aut virtus, (vt loquitur Beza) ſiue græcè τὴν δύναμιν, aut τὴν ἐνέργειαν appellare quis malit, à Chriſti corpore tacto effluxit, nōne ab eius corpore ſeparata eſt? Separata, inquam, vt ſola ſine eius corpore mulieri profluuium patienti communicari potuerit: ſi ſeparata eſt, quomodo efficaciam, aut virtutem Chriſti ab eius carne nō poſſe ſeparari Beza aſſerere au-
Matt. 15. c. det? An abſens Chananææ filia ac Centu
Luc. 7. a. rionis ſeruus Chriſti abſentis vim nō ſenſerunt? aut igitur duobus locis tum Chriſti corpus eodem tempore reſedit, aut vis illa ab eius corpore ſeparata eſt? an tot ægri quos vel tactu Chriſtus, vel ſolo verbo, vel fuſa oratione ſanauit, eadem opera corporis & ſanguinis eius communicatione receperunt? an Abrahamus qui po-
Ioan. 8. ſteritatem omnem in Chriſto beandam tanto antè proſpexit, credidit, & idcirco iuſtificatus eſt, Chriſti Dei pariter &

hominis ſubſtantiam ſimul hauſit, ac recepit? An Dei verbum, antequam hominem indueret, nullam in naturali, Moſaicáque lege vim exercuit? *nónne ipſe dixit & facta ſunt? nõne verbo Dei cœli firmati ſunt, & omnis virtus eorum?* An verbi Dei vim *Pſal.33.* ab eius carne, quæ nondum erat, Beza non ſeparabit? aut ſi ſeparatam fatebitur, an Chriſti vim, ſiue virtutem, vt ille appellat, ab eius carne, quæ iam eſt, ſeparari non poſſe peruicaciter affirmabit? an Chriſtum à verbo Dei prorſus alium nobis proponet? & pro trinitate quaternitatem (vt ita loquar) inuehet? An Chriſti nulla vis fuit tantiſper dum eius corpus in ſepulchro iacuit? An vt ex Bezæ doctrina conſequitur, vis illa vna cum corpore prorſus extincta, aut certè ſopita eſt? Atqui tum Adamũ inferni doloribus Chriſti interuentu ſolutum, traditione eccleſiaſtica proditum eſſe ſcribit Auguſtinus, vt ſupra annotauimus. Adderem hîc quæ eccleſiaſtici ſcriptores, de deſcenſu Chriſti ad inferos multis locis tradiderunt, quo carnem ſuã, quæ in ſepulchro iacebat, ſecum ferre, ac circunferre non potuit, ſcriptura enim in ſepulchro reſe-

diſſe confirmat, niſi ea mediocriter eruditis nota ac peruulgata exiſtimarem. Præterea quum vim & efficaciam Chriſti Dei & hominis Beza, à carne ſeparari neget, nónne vim diuinitatis, ita carni aſtringit, vt ſine carne nihil vnquam poſſit? Quo igitur ore nos Chriſti gratiam ſacramentis addicere improperare audet, quum ipſe carni Chriſti vim omnem diuinitatis aſtringat? quid de Chriſti anima dicet? an illi detrahet, quod hominis animæ, nemo ſanus detrahere audebit? multa enim poteſt humanus animus, quę nullo modo illi cum corpore ſunt cõmunia. An igitur nihil Chriſti anima, nihil eius diuinitas ſine carne poteſt? Si autem aliquid poteſt, vis illa nimirum à carne ſeparari poteſt. Audit Paulus Chriſtum vocantem, vocanti paret, an hic admirabilẽ Chriſti vim interueniſſe Beza inficiabitur? quã porro carnis cõmunicationem ſomniabit? Nec verò omittẽdũ eſt, quod vel ipſo Beza teſte & approbatore, Caluinus corpus Chriſti ab eius fructu ad nos perueniente diſtinguat. Quinetiam ille ipſe quũ à Iacobo Andreæ hoc nomine accuſaretur, quod ex eius ſcriptis Chriſti

Beza adu. Mat. Flac. Illyr. de ſacramẽ. corporis & ſanguinis Chriſti cum ſymbolis coniun. ad demon. 2

carnem nihil nobiſcum agere conſequatur, ita reſpondit. *Duo mihi affingit (inquit) vnum quod dicam* λόγον *tantum adeſſe: alterum quod ſentiam humanitatem Chriſti nihil nobiſcum agere, quibus calumniis ſuo loco reſpondi: interim hoc teſtor quod & corde credo & millies in meo libro inculcaui: quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo, neceſſario fatendum eſſe, totum Chriſtum nobis adeſſe. Et rurſus, quia Chriſti caro ſit à nobis in cœlos ablata, fatendũ eſſe totum Chriſti nobis nõ adeſſe. Quæ quomodo inter ſe non pugnent, ſuo loco declarauimus. Humanitatem autẽ Chriſti nobiſcum nihil agere oſtẽdat. D. Andreas vbi ſcripſerim, vel ſaltem calũniari deſinat. Nã ſi forte hoc ex eo colligit, quod carnem illam à nobis tãto nunc ſpatio abeſſe dicam, quanto abſunt ſummi cœli à terra, diſcat ſaltem ex illo Centurione aliter argumẽtari: qui abſentis quoque ſecundũ carnẽ, Chriſti virtutẽ credidit, & reipſa expertus eſt.* Hic vim ſiue efficaciam à carne ſubſtantiáque ſeparat, quã ante ſeparari poſſe inficiatus eſt: aliter igitur illic, aliter hic carnem atque ſubſtantiam accipiat, neceſſe eſt: nec tamẽ interim ſe explicat, vt ex induſtria more præſtigiatorum lectoribus illudere, ac ſimplicioribus ingeniis imponere velle cõuincatur:

quod quàm pij Eccleſiaſtæ officium ſit, atque ſynceri (qualem ſe venditat) euangelicæ veritatis profeſſoris, ipſe viderit. Et tamen quum prodigioſam, & prophanam hanc non vocum (vt ſcribit Paulus, id enim tolerari fortaſſe poſſet) ſed rerum ſed doctrinæ Chriſtianæ, & quę eius præcipua pars eſt, rei ſacramentariæ nouitatem inuehat, qua doctrinam iſtam ſcriptura, qua ratione confirmat? An quicquid arrogans nebulo temere effutit, id protinus ab vniuerſo orbe chriſtiano, tãquam delapſum à Dei ore oraculum recipiendum erit? Quo iure magiſtralẽ hanc authoritatem, vt ille loquitur, aſſequutus eſt? Sanè quum tantopere in cauſa ſacramentaria fluctuet, & nũc Chriſti corpus & ſanguinem in cœlo nobis communicari, nunc in terra ſcribat, nunc ſimplici verbo, nunc baptiſmo, nunc quoties vim aliquam à Chriſto manantem recipimus, quicquid compoſitis verborum inuolucris tegat, ac prætexat, etiamſi corpus Chſiſti quod pependit in cruce, etiam ſi ſanguinem ipſum pro nobis effuſum, nobis communicari diſertè ſcribat. Si quis tamen quæ mox hiſce pugnantia

addit, diligenter animaduertat, perſpiciet nimirum ex Caluiniana, Bezanáque doctrina (quid enim iſte habet, quod ab illo non acceperit) nihil aliud nobis in cœna, quam Chriſti vim, atque efficaciã communicari, quod aliquando fatetur ipſe Caluinus. Sic enim ſcribit. *Quod autem excludi carnem à cœna, omnibúſque diuinis actionibus obiicit Heshuſius, quum docemus cœlo comprehendi, nullo negotio diluitur hoc cauillum: quia myſticam, & incomprehenſibilem carnis operationem non prohibet abſentia localis.* Quid autem illa carnis operatio incõprehenſibilis à vi & efficacia differt? Videtis homines, de doctrina ſua incertos, nunc huc, nunc illuc, manũ porrigere, nec quicquam quod ſtatuant, in promptu habere? Eant nunc & fidẽ ſuam nobis prædicent, qua nihil non ſibi certo pollicentur: quum nihil certum, ac cõſtitutum ipſi habeant, nihil certum tradant, ſed vbiq; vacillantes fluctuent, idcircóq; qua fide nitãtur, nobis incertũ relinquãt. Sed illuc vnde digreſſi ſumus, redeamus, fideíque rationem explicemus: Fides itaque vt ſint quę non ſunt, vt vniantur quę longè diſtãt, vt adſint, quæ abſunt, facere

Cal. aduerſ. Heshuſiũ, pag. 79.

non poteſt.Facere quidẽ poteſt fides verbo Dei nixa, vt tam certò nobis de illis conſtet, vt tam certo ea licet abſentia, licet futura cõtueamur,ac ſi ipſis oculis cõtueremur. Sic enim exultauit Abrahamꝰ vt Chriſti diem videret, vidit & lætatus eſt(inquit Ioãnes.) An Chriſti natalẽ mutata tẽporis ſerie, reipſa Abrahamo repreſentatũ dicemus? minimè gẽtium, ſed de Chriſto futuro tam certo Abrahamo cõſtitit, quàm ſi reipſa Chriſtum contuitus fuiſſet: qua ratione fides rerum abſentiũ, & quę nondũ ſunt, veritatem, hoc eſt, certitudinem, non res ipſas repręſentare dicitur, multò verò minus nos ad illas perducere, illúcque ſiſtere poteſt. Quod ſi reipſa Chriſti corpus nobis hîc præſtò non eſt, neq; nos illi in cœlo præſto eſſe poſſumus, neque verè præſto eſt, neque ſumitur, hoc eſt corporis Chriſti duntaxat ſignũ ſumitur, non ipſum Chriſti corpus. Quod enim ſumitur, fidei ore duntaxat ſumitur, vt tradunt Caluiniani: Fides autem nõ rem abſentem, ſed rei abſentis, vel certitudinem, vel vim, atque ἐνέργειαν duntaxat (vt iam dixi) repreſentat. In Zuinglianã itaque hæreſim Caluinia-

ni, licet inuiti neceſſario relabuntur, quæ Euchariſtiam corporis Chriſti figuram, non ipſum corpus eſſe tradidit. Etſi cum Zuinglianis conſentire minine videri volunt, & ſeſe quaſi intermedios inter Zuinglianos, atque Confeſſionis Auguſtanæ aſſertores collocant, verbis quidem ſæpenumero ad Auguſtanos proximè accedunt. Fatentur enim idem Chriſti corpus quod crucifixum fuit, nos in cœna comedere, & ſubſtantialem communicationem vbique à ſe aſſeri ſcribunt, modo faceſſat localis præſentia, & de carnis immenſitate figmentum. Si localem pręſentiam intelligunt, vt Phyſici, qua corpus cum ſuis integris dimenſionibus in loco eſt, eam nos quoque reiicimus: ſin præſentiam interpretamur, qua corpus Chriſti reipſa coram adeſt, & pluribus locis ſumitur, eam verò nos recipimus. Alioqui quomodo corpus idem quod crucifixum fuit, reipſa ſumeretur, ſi reipſa coram adeſſe non poteſt? Atqui huiuſmodi præſentiam Caluinus & Beza reiiciendam putant. Itaque ſi res & ſcopus penitus inſpiciuntur, cum Zuinglianis omni ex parte conſentiunt. Nónne panis

ille conſecratus, qui catechumenis porrigebatur, Euchariſtiam deſignabat, Euchariſtiæq; loco erat, quæ catechumenis non niſi poſt baptiſmum adminiſtrabatur? vt à cœna Caluiniana, aut Zuingliana nulla in re differre videatur. Baptiſmũ porrò aiunt eſſe ſignum diuinæ iam collatæ nobis gratiæ. Nónne lotiones Moſaïcæ, non ſolum corporis munditiam afferebant, ſed animi etiam purgationem indicabant? Nónne baptiſmum ſimplex non eſſe ſignum iam collatæ gratiæ, ſed eius quæ ipſa tinctione confertur, ſupra ſatis multis rationibus docuimus, hoc eſt ſimul & ſignum eſſe, & rem ſignificatam complecti, atque cõprehendere? Quemadmodum igitur in ſacramentorum ratione antiquam eccleſiæ traditionem relinquentes Caluiniani, in ipſo doctrinæ Chriſtianæ veſtibulo grauiter impingũt. Ita & in Chriſtianorum infantium initiis amplificandis, noua quædam, & inaudita philoſophati, non minus inuecta ſua ſanctificatione cæcutiunt. Quod ſi in re, quam tanta confidentia aſſerunt, ac docent, tántopere hallucinantur, quid de reliqua eorum doctrina coniicere pote-

ſtis? Si aditum in Chriſti eccleſiam ita ſuis obſtruunt, quando illos intromiſſum iri pûtatis? Si in limine impingunt, atque hærent, quid in toto progreſſu facturos ſperare debetis?

QVANTVM autem omneis qui hac noſtra ætate ſe ab vniuerſæ eccleſiæ conſenſu ſegregarunt, ſua ſeceſſione profecerint, quid iſta peruicacia conſequuti ſint, quem fructum ſuis aſſectatoribus attulerint, diligenter cogitare debetis. Et quanquam id per vos iamdudum ſatis animaduertere potuiſtis, tamen ab illis ipſis qui ſua bene norunt, intelligere non erit alienum. Horum duæ in primis celebrantur factiones, altera Lutherianorum, altera Caluinianorum. Quid vtriuſque principes de ſuis ſentiant, audite. Lutherus nimirum ſuos increpat, multóque quam dum ſub Ro. pontificibus agerent deteriores eſſe ait, atque ad omne ſceleris genus procliuiores: Et alio loco. Decies Sodomitis flagitiores eſſe teſtatur: Eadem de ſuis deplorat Caluinus, ac quaſi cum omnium mortalium ſceleratiſſimis, facinoroſiſſimíſque comparare, haud ſatis eſſet, malos genios huma-

Luther. in Poſtill. Dominic. 1. aduentus.

Cal. cõcione 10. in epiſt. ad Epheſios quæ concio gallicè ſcripta eſt.

nam formam indutos appellat (ea Gallis familiaris eſt loquendi phraſis) neq. tam tetra in Romana, quam in præclaris illis ſuis eccleſiis ad apoſtolicam ſimplicitatē, integritatémque reuocatis monſtra reperiri confitetur. Non ſolum autem illi hæc verbis, ſed & ſcriptis publicè teſtati ſunt: vt vtrorumque impietas memoriæ conſecretur ſempiternæ. Quod enim de illis iudicium feret omnis poſteritas, quũ teſtes ipſos viderit apud eos, qui accuſantur, omni exceptione eſſe maiores? quum teſtimoniorum commentarios eorũdem opera typis excuſos, eorundem publico conſenſu receptos, approbatóſque intellexerit? Quid porrò aliud iſtud eſt, quam & crimina confiteri, & prolatis ab accuſatoribus teſtimoniis ſubſcribere? Corruptos certè à noſtris, vti ſcriptorum eccleſiaſticorum plæróſque hæretici ſæpe corruperunt, obiicere non poſſunt: quod palam teſtamur, ac poſteris teſtatum eſſe volumus. Quod ſi quis erit, tanto ingenio, tantáque induſtria, qui veram noſtri temporis hiſtoriam conſcribere pro dignitate poſſit, plura nimirũ, in hanc rem argumenta, probationéſque proferet.

Veſtrum igitur erit viri Metenſes, ex alienis incommodis, veſtra commoda, ex alieno errore ſynceram veſtram doctrinã, ex aliena pernicie, veſtram ſalutem metiri; atque iis in quorum poſſeſſione hactenus fuiſtis, bonis perfrui: Deo autem Opt. Max. gratiam habere, illum celebrare in primis, qui infractos animos veſtros, iſta conſtantia, ac fortitudine confirmauit. Quod ſi quis obiiciet Caluinianam factionem creſcere in dies, ingentes facere progreſſus, magna à multis ſubſidia conſequi, recordetur idem Arrianam hæreſim imperatorũ edictis nixam, multorum epiſcoporum ſuffragio fultam, totius penè Orientis cõſenſu, & bona Occidentis parte nõ inuita receptã, tot eruditorum hominum commentariis propagatam, ita aliquando viguiſſe, vt de ſyncerę doctrinę inſtauratione deſperandũ ſibi ferè omneis boni ducerent: ita rurſus vno, eodémque momento collapſam, depreſſamque, ita in profundum obliuionis pelagus demerſam, vt nulla eiuſdem extent veſtigia, nulla ſuperſit memoria, niſi ſi quà forte ſcriptorum eccleſiaſticorum Arriana dogmata refellentium li-

teris conſignata eſt. Idem de Caluiniana ſperare noſtro iure poſſumus, quæ quum antiquas omneis rerum aggrediūdarum audacia, dogmatúmque nouitate ſuperet, diuturnior eſſe profecto non poteſt. Ipſe vero huius princeps, quem ſeſe toti poſteritati ſpectandum exhibet? non eſt ſanè cur hominem ſuis coloribus depíngamus, illum commentarij in lucem æditi ſatis ſupérque depingunt. Quis enim non dicam Chriſtianorum, ſed prophanorum, vel philoſophum, vel oratorum, vel poëtarum, vel cæterorum, qui eruditione celebres fuerunt, tam in aduerſarios acer, aut tam ſui oblitus vnquam fuit, cuius tot maledictis, tot in mortaleis vniuerſos contumeliis, oratio ſcateat, vt verè Timonem quendam μισάνθρωπον, aut crocodilum hominis natura hoſtem exiſtimare poſſimus. Vbi vero eſt Chriſtiana illa modeſtia, & qua ſemper omneis complecti debemus, Charitas? Quæ, quò frequentius, pluribúſque locis ab illo commendantur, eò ſæpius ſuis ipſe verbis, ſententiáque damnatur. Quid? quod eò impudentiæ progreſſus eſt, vt quum ab amicis admoneretur, ne com-

mentarios ſuos tot contumeliis, probríſque petulante ſcurra potius, quam modeſto ſacrarum literarum profeſſore dignis, inquinaret, morbum eum non ingenij, ſed genij ſui eſſe reſponderit: ne malum genium ſcilicet omnibus illius ſcriptis commentandis, contexendíſque adfuiſſe, dubitare poſſemus. Voluit prȩterea fortaſſe & illud poſteritati teſtatum relinquere, ſe nimirum eodem malo genio duce vti, quo natu maior, & defectionis author Lutherus ad inchoandam, condendámque præclaram ſuam ſectam antea incitatus fuiſſet: qui diſputationes ſuas cum dæmonibus habitas aliquando iactabundus enarrat, & memorabiles de his victorias ſuas, triunphóſque prædicat: quomodo in contentione de cœna ſcilicet, cum malo dæmone congreſſus, atque hinc, illíncque, diu, multúmque agitatus, tandem tamen immobilis conſtiterit, & tanquam pugil fortiſſimus fixis veſtigiis valenter inſiſtens, loco moueri nequiuerit. Luctam Iacobi patriarchæ cum Deo legerat, cum cacodæmone ſibi negotium eſſe maluit. Homines enim ad ea quæ naturæ ſuæ putant conſentanea

Cal. epiſt. ad Bucerum.

Lutherus de miſſa priuat. & ſacerdot. cõſec.

magis feruntur, vt illum nō ſolum furioſum, ſed & fanaticum omneis mortales agnoſcerent. Atqui tantos iſtos prophetas titulis ſuis, laudibúſque proſequētes, hunc tertium Eliam, quintúmque Euangeliſtam Melanchthon & Pomeranus diſcipuli vocant: illum quanquam natu minorem, ne cedere videretur, alterum Moſem, quaſi nondum cognitæ, & prorſus nouæ legis, doctrinæque authorem, atque conditorem Beza quoque diſcipulus appellat: quum vtérque (vt de doctrina, vitáque reliqua taceam) tam tetris moribus fuerit & ab omni humanitate prorſus alienis, tantáque iactantia infamis, vt ne à ſuis quidem ſatis æquo animo tolerari poſſet. At nihilominus prophetæ vocantur, quamuis à ſeipſis nō ſecus quā à nobis, imò verò magis fortaſſe diſſentiant: perinde ac ſi diuinus ille ſpiritus pios omneis, præſertim autem prophetas, vnus idémque afflans, idémque perſeuerans, diſſenſionis ac ſeditionis author eſſet. Ita impij homines in tractandis ſacris literis ludunt, ac minus cautis ingeniis ſpecioſa nomina prætexentes, imponere ſolent, impudentérque mentiuntur

tiuntur

tiuntur non aliter quàm ſi fabulas Æſopicas,aut Luciani verás, hoc eſt, falſiſſimas narrationes pueris, mulierculíſque recitarent. Nihilominus illorum & ſcripta, & priuata colloquia, publicæque cõciones,nihil aliud quàm ſpiritum ſanctum crepant. Itaque ſpiritum illum veritatis ipſorum labiis,non ſecus, ac melliſluam Pitho quorundam labiis olim ſeſſitaſſe ferunt,ſemper inſidere prima frõte quiuis diceret. At ſi quis diligenter animaduertat, quo ſpiritu agantur,agnoſcere haud difficile eſt,quod Lutheri,Caluiníque exemplis ſatis luculenter explicatum eſt.En ad quos diuini verbi miniſterium delatum eſt?En quos religionis ſuæ duces, qui à nobis ſeceſſerunt, ſibi deſignarũt? vt cæci cæcos ſequentes, in profundum barathrum vtrique ſimul ac ſemel præcipitentur,ruant,demergantur. Sed his omiſſis, ne cum inſanis inſaniamus, cum piis antiquam pietatem colamus,piorum officia præſtemus, Dei opt. max. immenſam bonitatem imploremus, qui nimirum vacillantes confirmabit, depreſſos eriget, afflictos conſolabitur,iuſtáſque ſuorum lachrimas, luctúm-

que perenni lætitia, ac ſempiterna fęlicitate compenſabit. Nec vero, me quis (viri Metenſes) priuata aliqua ſimultate prouocatum, non cuiuſquam odio laceſſitum, non inuidia accenſum, ad hanc diſputationem aggreſſum eſſe exiſtimet, ſed officio adductum, vti veritas ipſa, mediocríſque ſacrarum literarum cognitio ſuggeſſit, adhæc vobis explicanda acceſſiſſe certo ſciat. Etenim & officij & religionis proditæ me iure arceſſere poſſetis. ſi quę meæ ſunt partes, in verbo Dei ſyncerè vobis interpretando, in propugnanda vniuerſæ eccleſiæ doctrina, in conuincendis, euertendíſque Hæreticorum peruerſis aſſertionibus, non agnoſcerem. Quod ſi fructum aliquem inde vobis acceſſiſſe ſenſero, ſi me vel huius laboris, vel ſuſcepti muneris vt pœnitere me non debeat, aſſequutum intellexero, accendar profecto tum veſtri ſtudio, quibus quantum debeam, non ignoro, tum iniuncti mihi muneris implendi ardore, vt maiora aliquando audeam.

FINIS.

ERRATA.

Fol.12. pag. 2.verſ.8.vel Theudunum Auarum.
Fol.13 pag.1.verſ.8.Lydiæ (inquam) Thiatirenſis quæ rem purpurariam factitabat, aut purpuris diuenduntur operam præstabat, & eius &c. fol.15.pag.1.verſ.26. numerentur. fol.23.pa. 1.verſ.10.iniuſtitiam. fol.27.pag.1.verſ.6.experirentur. ibid. pag.2.verſ.2.collimet. fol.34.pag.2. verſ. 20. Audimus. & verſ.22 auerſionem. fol.35.pag.2.verſ.10.illigantur.
fol.36.pag.1.verſ.14 connectuntur. fol.37.pa.1.verſ.24. dum enim. fol.40.pa.2.verſ.11.nomine. Ibid.verſ.vlt.ſe ab vtrorũq;. fol.43.pag.2.verſ.18.ἡμῶν. fol.44.pag.1.verſ.21. receptam. fol.46.pa.2.verſ.17.phariſaiſmum. fol.55.pa.2.verſ.13.eandẽ. fol.56.pa.2.verſ.15.patres. fol.58.pag.1.verſ..penul. Sed & traditionibus. fol.67.pag.1.verſ.4.eundem prædeſtinare.
fol.74.pag.1.verſ.6.concilium conſtantinop.
fol.76.pag.1.verſ.1.addendum in margine ſynodi.1.pariſienſ.c. 62. Ibid verſ.11.ſiue quinque leucis. fol.78.2.verſ.5. baptiſmum. Ibid.verſ.20.in religione. fol.90.pa.1.verſ.2.implere. fol.102.pag.1.verſ.25.ſtatim recipiebat. fol.104.pag.2.verſ. 25.tranſlato. fol.109.pag.1.verſ.26. pertimeſcunt. fol.110. pag.1.verſ.2.corpore. fol.111.pag.1.verſ.19.illic(inquit)nimirum &c.hæc & quæ ſequuntur maioribus characteribus excudi debuerunt. fol.113 pag.1.verſ.2.proinde.

In Antapologia.

Fol.8.pag.1.verſ.12.dubitationi. fol.11.pag.1.verſ.16.candelabrum. fol.16.pag.1.verſ.26.reſtituemur. fol.53.pag.1.verſ.7. ἄνοξιον. fol.46.pag.1.verſ.20.δικαιοσύνην. fol.46.pag.2.verſ. 25.conſequitur. fol.54 pa.2.verſ.4.nodo. fol.56.pag.2.ver. 1.conformatione. fo.61.pag.1 verſ.4.legitimam. Ibid.verſ. 11. numeratis. fol.63.pag.2.verſ.7.baptiſmatis. fol.64.pag.1.verſ. 24.eſſe.

VIRI CVIVS-
DAM ERVDITI AD-
uerſus Metenſium miniſtrorum
nomine ſcriptã, & ann. 1566.
Geneuæ editã Apologiam,
qua Franciſcus Belcarius
Peguilio, Epiſcopus
Metenſis mali-
gnè tradu-
citur,
Antapologia.

PARISIIS,
Apud Claudium Fremy, via Iacobæa,
ad inſigne Diui Martini.
1567.
Cum Priuilegio Regis.

EXTRAICT DV priuilege.

PAR grace & Priuilege du Roy, eſt permis à Claude Fremy, marchant libraire en l'vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente & diſtribuer vne fois ou pluſieurs vn liure intitulé, Antapologia Viri cuiuſdam eruditi aduerſus Metenſium miniſtrorũ nomine ſcriptã, & ann. 1566. Geneuæ æditam Apologiã, &c. Et faict ledict Seigneur defence à tous autres de quelque qualité qu'ils ſoiet, de nõ imprimer, ou faire imprimer, vẽdre ny diſtribuer en ſes pais, terres & ſeigneuries ledit liure, ſans le congé & conſentemẽt dudict Fremy, iuſques au temps & terme de ſix ans finis & accomplis: à conter du iour & date qu'ils ſeront acheuez d'imprimer, ſur les peines contenues es lettres patentes dudict Seigneur. Donnees à Paris le neufieme iour de Feurier, l'an mil cinq cens ſoixante ſept. Ainſi ſigné, Par le Roy. Burgenſis. Et ſeellees du grand ſeau.

Viri cuiuſdam eruditi

aduerſus Metenſium Miniſtrorum nomine ſcriptam, & ann. 1566. Geneuæ editam Apologiam, qua Franciſcus Belcarius Peguilio, Epiſcopus Metenſis, malignè traducitur Antapologia.

PERCVRRI, amice lector, nuper Geneuæ editam Metenſiũ miniſtrorum nomine aduerſus Metenſem Epiſcopum Apologiam, quæ quum pium virum, & de bonis literis nõ malè meritum calumniarum inſimulet, ipſa tamen vniuerſa, non tam Apologia, quàm mera impoſtura, ac calumnia eſt: quod re magis docendum, quàm verbis exaggerandum arbitror. Itaque iudiciũ hîc meum tecum communicare nõ grauabor, gnarus alioqui Belcarium ſtudiis grauioribus deditum, ſcurrilibus hiſce nugis vel legendis, vel confutãdis bonas horas impendere nolle, nec in argumento leuiſſimo, atque ab homine Chriſtiano alieniſſimo, hoc eſt, in iaciendis,

regerendíſq; maledictis cõſueſſe verſari.

Solebant olim poëtæ, qui primi prophani deorum cultus Theologi fuerunt, à muſarum, aut deorũ inuocatione poemata ſua ordiri: quem morem ſæpenumero inſignes Chriſtianæ philoſophiæ profeſſores diligenter obſeruarũt, & Dei opt. max. inuocationi procœmia ſua conſecrarunt. Quod quid aliud fuit, quàm Deo, à quo omneis ſcientiæ, omníſque ſapientia proficiſcitur, laudes præcinere, & fœlix iſtud omen quodammodo ſuis libris præfigere? illum operum omniũ bonorum cogitationúmque authorem, moderatorem, perfectorem agnoſcere, & ad explicandas, abſoluendáſque, quas ſuſceperant hypotheſes inuocare? At contra ſynceri verbi Dei interpretes, Apologiam ſuám pro ſuorum more à maledictis ordiuntur, tum vt aduerſarij authoritatem eleuẽt, tum vt præoccupatum lectoris animum, nec iam ſui iuris, quoquo verſus quáſi cæcutientem, tota narratione circunferant: hoc eſt Satanæ, à quo omnis maledicendi, ac piorum traducendorum libido impiis ſuggeritur, procœmia ſua deuouent, Satanam ad impias ſuas cogita-

tiones adimplēdas impura oratione præludentes, inuocant: Satanę has veluti primitias initio exoluunt, cui mox totā meſſem colligunt: vti ex infauſtis auſpiciis nihil niſi infœlix, infauſtúmq; manare cōſueuit. Et tamen quum manifeſto huius inſtinctu, huc illúcque ferantur, ac circunferantur, eūdem nihilominus nobis, qui in eccleſiæ vniuerſæ conſenſu perſtitimus, obiectare non verentur, atque inde procemio ſuo materiam quęrentes, nobis inuidiam conflare nituntur. Eo duce nos ad oppugnādas ſuas illas eccleſias ad apoſtolicæ integritatis normam (ſi Deo placet) reuocatas inſtigari, ad vim apertā, & mendacia cieri improbè mentiuntur: quum illi ipſi vtrumque præſtiterint: vim quidem tanta cum Galliarum noſtrarum ſtrage intulerunt, aut certè inferendam curarunt, vt omnia veteris crudelitatis exempla ſuperarint. Quo porrò Flandricus tumultus erupiſſet, niſi Regis pij, verique totius Chriſtianiſmi propugnatoris ſingularis prouidentia obſtitiſſet? Sanè non minorem, quā, quæ Galliis illata eſt, cladem parabat. Mendaciis autem ita omneis ſuas conciones, ita priuata collo-

quia, ita vniuerſa ſua ſcripta quotidiè infarciunt,vt iam ſæpius palam conuicti, quemadmodum & mox conuictum iri ſpero, negare non poſsint. Sic nequiſſimus ille genius angeli lucis (vt inquit Paulus) ſic illius miniſtri piorum ſubinde perſonam induere, ac mentiri ſolent: ſic piorum ſortem ſibi vēdicare, ac viciſſim piis ſuam mēdaces affingere conantur. Priuatim autem Belcarium, quum quod verè obiiciant, non habeant, confictis conuitiis, boni diuini verbi miniſtri inceſſunt: depoſitarium Epiſcopum appellant. Hic quid intelligant, audire operæpretium eſt. In regionibus quæ pontificiæ obedientiæ vulgò appellantur, is aliquot iam ſeculis mos inoleuit, vt qui epiſcopatu, aut aliis beneficiis eccleſiaſticis alteri cedunt, regreſſum (vt vocant) & eam fructuum annuorum portionem, quæ Romano pontifici æqua viſa eſt, ſibi excipiant. Id quàm piè fiat, non eſt nunc diſputādi locus: receptum porrò morem diu tolerauit, & poſtremo Tridētino cōcilio nuper aboleuit eccleſia. Belcario itaque epiſcopatu Metēſi cedēs, id ſibi iuris Cardinalis Lotharingus excepit. Et vero

Belcarius hoc nomine depoſitarius epiſcopus,& quidem fidiſſimus non iniuria dici fortaſſe potuiſſet, quod depoſitum, vt Timotheum (etſi in alium ſenſum) admonet Paulus,bona (opinor)fide conſeruaſſet, atque vt diligens cuſtos gregem ſibi commiſſum ſedulò curaſſet, ſi multa illi pro ſuo arbitrio gerere,& gregi diutius adeſſe licuiſſet:Sed iuſtas eius abſentiæ fuiſſe cauſas,& plęráque interceſſiſſe, quæ promptam alioqui eius in obeundo munere alacritatem retardarint,cum alij permulti, tũ ex Metẽſibus plæriq; nouerũt.Quod autẽ legitimi,veríque epiſcopi gradũ tenuerit,atq; etiamnũ retineat, teſtantur habitę apud Metẽſes cõciones ab optima doctrina profectæ, cæteráque boni paſtoris,prout tempus tulit, obita munia : teſtantur & dictæ in poſtremo Tridentino cõcilio ſententiæ, quæ ſi vt à viris aliquot piis laudabantur, ita ab omnibus tum appobatæ, ac receptæ fuiſſent, ſanè ordo eccleſiaſticus antiquam integritatem, dignitatémque aut recuperaſſet,aut ad eam(quantum corrupti huius ſeculi mores ferunt) proximè acceſſiſſet, &vni uerſa reſpublica Chriſtiana melius 1.Tim. 6.

haberet, & Caluiniani miniſtri, qui ex deprauato, corruptóque Dei verbo ſacrilegum quæſtum faciunt, ne quid grauius dicam, miſerè profectò egerent. Accedit alterum conuitium, vt illi interpretantur. Clamant vbique Rhetorem hæc aut illa proloqui, & nomen rhetoris tanquã grauem contumeliam obiiciunt; quod & Auguſtino quondam obiecit Imperator Iulianus. Si rhetorẽ eum intelligunt, qui rhetoricã, hoc eſt, dicẽdi præcepta, atque artem docuerit, falsò id Belcario attribuunt. Nam etſi honeſta functio eſt, eam tamen nũquam obiuit Belcarius: etenim homo ingenuo loco, illuſtríque familia natus, plus in diſcendo, quàm in docẽdo operæ impendit. Sin rhetorem interpretantur, qui eleganter, ac facũdè loquitur, aut ſcribit, quale verò crimen eſt animi ſenſa vel ſermone, vel ſcripto diſertè explicare? quod in primis vt aſſequatur, vnuſquiſque bonus paſtor optare debet. Sed illi eò liberiꝰ hoc loco inſultãt, quod tantum crimen in ſe retorqueri non poſſe certò ſciant. Nam vobis, boni miniſtri, (vos autẽ iam alloquar) crimen iſtud, aut vitium, (ſi tamen ita appellandum eſt)

aut conuitium obiicere nemo poteſt. Etſi enim vos vix de nomine, nōdum autem neque de facie, neque ex ſcripto quod Latinè legerim, noui, tamē quæ Geneuæ ſuperioribus hiſce annis edita ſunt, conferens; præclaræ iſtius Apologiæ ſtylū, & à quo proficiſcatur, agnoui. Vt autem vobis reſpondeam, Aio Belcarium hominē benè educatū, & bonis literis ab ineunte ętate diligenter excultum, à verbis quidē ſordidis, prout res ferebat, abſtinuiſſe, cęterum oratorium nitorem ac copiam minime affectaſſe; vel id indicio eſt, quod quum idem argumentum fuſè oratorio more explicare, & multas paginas implere poſſet, tā preſſa, ac quodammodo plura indicante, quàm apertè ſignificante oratione vſus eſt, vt ea nōnullis acrioris iudicij viris etiam conciſa videatur. Quod ſcribendi genus hac præſertim ratione ſequutus eſt, quod in tanta librorum, qui hoc noſtro ſeculo de religione ſcripti ſunt, mole, lectorum occupationibus ſubleuandis, breuitate occurrendum, & bonæ poſteritatis memoriæ ita conſulēdum putauit. Bello procemio prima attexitur calumnia.

Prima calumnia Belcario falſo impoſita.

Pagina 8. ASSERIS *Belcari (inquiunt) hæreditaria parentum ſanctitate in matrum vteris donari Chriſtianorum infantulos: An non vereris ne te falſi reum agamus? quum apertè doceamus, non infundi hanc ſanctitatem à parentibus, ſed ex fœderis formula recipi ipſorum liberos, qui natura ſunt filij iræ, in Dei gratiam, qua ſe liberali ſua miſericordia Deum ipſorum eſſe velle pollicetur, ac proinde à peccatis eluere, ac ſanctificare? Nam quum ſanctorum ſint liberi, vult ad eos quoque tanquam ramos, benedictionis ſuæ gratiã extendere, non infundendo illam per parentes, vt tu ſimilitudine ramorum, aut radicis malè intellecta deceptus es, ſed quia propter coniunctionem quæ intercedit liberis cum parentibus, tanquam ramis cum radicibus, gratuita ſua miſericordia vult hanc illis quoque communicare, adoptando illos propter Chriſtum ſibi in filios, imputando illis natiuam ipſius puritatem, & innocentiam, & per ſpiritum ſanctum ſibi ſanctificando, vt parẽtes fideles hac duplici liberorum cõiunctione, vtpote carnis & gratiæ ſpiritualis ad maiorem excitarentur erga Deum gratitudinem.* Hactenus

Apologia. Vbi re obteſtor piè lector, atque cōteſtor, vt quàm ſit impudens mendacium, animaduertas: Aiunt Belcarium ſimilitudine radicis & ramorum deceptum, exiſtimaſſe ſanctitatem ab Abraha mo vſque continua ſucceſſione à parentibus infundi in liberos: At nuſquam ſanctitatis ita infuſæ meminit Belcarius, neque verbum infundendi in hanc ſignificationem ſanctitati vſquam accōmodauit. Legatur totus libellus, nihil tale deprehendetur. dixit quidē aliquando Belcarius, hæreditaria parentū ſanctitate donari fidelium liberos, ſed hæreditariā vocat, non quod cōtinua ſucceſſione à parentibus ad liberos deriuetur, aut quod alioqui per parentes liberis infundatur, ſed quod huiuſmodi ſanctitatem, quamuis ex fœdere, tamen fidelium parentum beneficio liberi aſſequantur: vt hęreditarium vocare ſolemus, quod parentum opera nobis acquiritur. Parentum autem fides efficit, vt liberi in fœdere numerentur, etiam in matrum vteris, vt illi ipſi tradunt, quæ proxima cauſa eſt: tametſi prima, princepſque in fœdere conſiſtit. Adiecit ſimilitudinem Belcarius peccati ori

ginis ab Adamo ad omneis eius poſteros
tranſmiſſi, & huius ſanctitatis ex fideli A-
brahamo ad fideles omneis permeantis:
ſed ſimilitudines omni ex parte cõuenire
non debent. Neque tam rudis fuit Belca
rius, quin illic ſucceſſionem continuam,
hic nullam ſucceſſionem conſtitui, quin
illic traducem, hic nullam traducem in-
teruenire intellexerit. Quis enim conti-
nuam fidei, ſanctitatiſque ſucceſſionem,
ſiue traducem ab Abrahamo ad nos vſq;
manare ſomniaret, qui ex parẽtibus pro-
Rom.4.b. phanis nati, ſi quis originem noſtram al-
tius repetat, fide in Abrahami familiam
mox adoptati ſumus, & in fœdus recepti?
Adde quod parentum fides, quæ Dei do
num eſt, vi fœderis, quę altera Dei bene-
ficentia eſt; ex Caluinianorum doctrina
fidelium liberis ſanctitatem cõmunicat.
Quum igitur vtrobiq; manifeſta Dei bo-
nitas, benignitáſq; eluceat, in fide inquã,
& fœdere, nihil propriè ab homine pro-
manet, hoc eſt, quum & fœdus, & fides
mera ſint Dei dona, quis ſanctitatis ab v-
traque illa cauſa prodeũtis traducem ex-
cogitare poteſt? Neque verò ſimpliciter
dixit Belcarius, ſanctitatẽ ab Abrahamo,

ad fideles tranſmitti, ſed addidit, ex fideli Abrahamo, hoc eſt, tam ex Abrahami fide, quam fœdere fidei ergò cum illo icto: quaſi diceret, Quemadmodum Abrahami fides, non ex ſe, ſed vi fœderis effecit, vt eius poſteri ſanctificarentur, ita & parẽtibus qui eadem fide præditi erunt, idẽ ius reliquit Abrahamus, nempe vt illorũ beneficio, hoc eſt, fide liberi ſanctitatem ex fœdere aſſequantur. In fœdere enim non ſolius Abrahami, ſed omniũ eius poſterorũ, qui eadem fide Chriſti Eccleſiã aucturi erant, habita tatio eſt, etiamſi fidẽ continua ſucceſſione non ſint aſſequuti. Expendantur Belcarij verba: Peccantem Adamum cum fideli Abrahamo contulit, hoc eſt, Adami peccatum, cum Abrahami fide, & fœdere à Caluinianis conferri dixit, vt ex illorum ſcriptis colligere eſt: Nam quemadmodum peccatum illud in omnibus Adami poſteris, peccati originis initium & cauſa fuit, ſic Abrahami fides vnà cum fœdere coniuncta initiũ & cauſa quodammodo ſanctificationis fuit, quæ poſt fidelium quoque liberis vi fœderis communicata eſt: quamuis illa Abrahami fides huius ſãctificationis,

quæ poſteris eius ineſſe dicitur, vera & proxima cauſa nõ fuerit, ſed ſingulorum parẽtum fides liberis præſtiterit, vt in fœdere cẽſerentur, ob ídque vi fœderis ſanctificarentur: itaque parentũ fides eſt cauſa ſine qua liberi in matrum vteris nõ ſanctificantur. Vt igitur Adamus peccati, ita Abrahamus ſanctificationis quodammodo fuit author, et ſi propriè cauſa non fuit. Sic Iſaacum in Saræ matris vtero ſanctificatum fateri Caluiniani coguntur: Quamuis id inficietur Auguſtinus. Nam in Abrahamo (vt ille ſcribit) fides, & iuſtificatio circuncifionem anteuerterunt. In Iſaaco, cæteríſq; Abrahami poſteris, qui octauo die circuncifi fuerunt, vtrámque circũciſio anteuertit: Si in Abrahami poſteris circũciſio præceſſit, iuſtificatio conſequuta eſt, quum iuſtificationis pars ſit ſanctificatio, Iudæorum nimirum infantes in matrum vteris non fuiſſe ſanctificatos neceſſariò cõficitur: quod & de Chriſtianorum infantibus pronuntiare poſſumus. Primus autem Abrahamus, hoc ſanctificationis veluti priuilegium aſſequutus eſt, quod in eius quoque poſteris continuatum eſt: iis ſcilicet qui eiuſdem fidei

Aug. lib. 4 de bapt. contra Donat. cap. 24.

ergò in fœdere numerati ſunt, ob ídque in cauſa fuerũt, vt ipſorum liberi eodem iure fruerẽtur. Quis hæc ex Caluiniano-rum doctrina conſequi, inficiari poteſt? Et tamẽ hic nullam ſanctitatis traducem opponere poteſt. Et ne quis tam tardus eſſet, qui hæc non caperet, aut qui ea in alium ſenſum detorqueret, ſanctitatém-que à parentibus traduce quadam, nõ ſe-cus ac peccatum originis liberis infundi exiſtimaret, ſeſe paucis interiectis, ita ex-plicauit Belcarius, vt nullus dubitationis locus relinquatur. *Quemadmodum ex illorũ ſcriptis colligere eſt (inquit) ſanctos, ac ſanctifica-tos fidelium liberos appellant, quod ex fœdere cũ Abrahamo inito, diuinæ bonitatis, & ſalutis per Chriſtum, atque etiam gratiæ ſpiritus ſancti ita ſint participes, vt ſi in eo ſtatu moriantur, æternæ vitæ omnino ſint compotes, ſiue illi in matrum vteris, adhuc concluſi, ſiue iam nati, necdum tin-cti moriantur.* Et paulò pòſt. *Sanctificationẽ vocant hanc puritatem, quæ ex eodem fœdere à fidelibus parentibus ad liberos tranſmittitur.* Et rurſus. *Inde infantulos ſuccedente ex parentum fide, puritate, imbui infert*, non dixit ex pa-rentibus, ſed ex parentum fide, vt nemo ſanctitatẽ ex ipſa genitura traduce quadã

propagari, & liberis infundi ſomniaret. Quis enim in fide(vt iam dixi) traducem ſomniare poteſt? Vides pie lector principem ſanctitatis liberorum cauſam in fœdere conſtitui, alteram, quam & inſtrumentalem vocant, in parentibus, aut potius in parētum fide, qua effectum eſt, vt liberi in fœdere numerentur? An nō igitur veretur huius Apologiæ author, ne illum falſi reum non ſolum agat, ſed peragat Belcarius, & quotquot Belcarij libellum legere volent? Quapropter meritò prima hæc numeratur Calumnia, nō quā Caluino, Caluinianiſque ſtruxit Belcarius, ſed quam Belcario nequiſſimus calūniarum, mēdaciorūq; artifex, quē probè nouimus, falſiſſimè, atque impuden-

Pag. 101 tiſſimè impingere conatur. Eiuſdē farinæ ſunt quæ conſequuntur: non negat Belcarius Sanctitatem ex fœdere, ſi re vera ita res haberet, fore eximiam quandam, & ſupra naturæ vires eminentem gratiam, aut ſupernaturalem, vt iſti loqui malunt: Sed Caluinum hic obſcurum(vt ſolet quum ſe impeditum videt, nec explicare poteſt) eſſe ait, neque ſignificare an ſupernaturalis illa gratia ex fœdere pē-

deat,

deat,necne, an antecedat,neque ratione niti,aut Dei verbo quo paradoxon ſuum confirmet. Petrum autem Martyrem à *pag.11.*
Caluino diſſentire liquido conſtat: quicquid hîc Metenſes miniſtri garriãt, & in his conciliandis fruſtra laborent: ille enim æternam Dei electionem,hic fœderis promiſſionẽ ſanctificationis eſſe cauſam putat. Cauſas ſubordinatas (ſic enim loquuntur) eſſe reſpondent Caluiniani: *qua ratione ſanctificatos dicunt infantes, quod* *Eadem*
in fœdere ſint comprehenſi, in fœdere comprehen- *pag. 10.*
ſos, quod ſint electi: ita ſanctificationis geminam cauſam ſtatuunt, primam, æternam Dei electionem, ſubordinatam verò fœdus ipſius. Atqui ſi ſanctificationis prima, princépſque cauſa eſt, æterna Dei electio, ſanctificatos nimirum ex matrum vteris eſſe nõ ſolum vniuerſos,qui ex fidelibus,ſed etiã quotquot ex infidelibus ſelecti ſunt, conficitur. Si ex infidelibus ſelecti in matrum vteris ſanctificantur, ſanè fœderis promiſſio ſanctificationis cauſa eſſe non poteſt:infideles enim nec in fœdere numerari poſſunt, nec cum fœdere commune quicquam habent: ex quorum numero ſelectos ſanctificari in matrum vteris ne-

ceſſaria rationũ ſuarũ cõſequentia fateri Caluiniani cogũtur: Alioqui ſi in matrũ vteris nõ ſanctificarentur ex infidelibus quẽadmodũ ex fidelibus ſelecti, ſanctificationis electio vera eſſe cauſa nõ poſſet: aut quod inter vtroſq; diſcrimẽ proferẽt Caluiniani? Illos in fœdere non cõtineri reſpondent, idcircóq; ſanctificari nõ poſſe. At lõgè potẽtior electio, quàm fœdus, vt illi ipſi quoque confitentur: Hinc non omneis fideliũ infantes, ſed ſelectos dũtaxat in matrum vteris ſanctificari ſcribunt. Quum igitur potentior ſit electio, imò quum fœderi ipſi ſanctificandi vim præſtet, nec alia ratione in fœdere comprehendãtur infantes, niſi quod ſint electi, vt Caluiniani tradunt, vtroſque ſanctificari neceſſe eſt, tam eos qui ex infidelibus, quàm eos qui ex fidelibus ſelecti ſunt. Sin fœderis promiſsio ſanctificationis cauſa eſt, cur & ſelecti fidelium infantes, & reiecti, ſiue prædeſtinati ac reprobi in matrum vteris non ſanctificantur? vos enim ſelectos duntaxat in matrũ vteris ſanctificari docetis. Atqui vtrique ſi fidelium ſunt liberi, ſemen Abrahami ſunt: vtrique tantiſper dum in matrum

ſunt vteris, ex ſe nihil peccarunt: vtrique peccato originis ex æquo ſunt inquinati: quid igitur obeſt quominus in matrum vteris vtrique ſanctificentur? Adhæc quũ promiſſio fœderis in genere enuntietur, & de omnibus ſine vlla exceptione fidelium liberis dixerit Deus. *Ero Deus tuus & seminis tui poſt te.* reiectos nõ excipiat, quomodo eoſdem, Caluiniani excipient, niſi Dei verbo aliquid de ſuo addere volent? quod aliis locis nefas eſſe pronuntiant. Reiecti ſunt (inquiunt) ac proinde ſanctificari, aut ſancti eſſe nõ poſſunt. An quoniam aliqui reiecti ſunt, idcirco iidẽ Deo accepti eſſe nunquam poſſunt? Id quidẽ ſibi perſuadẽt Caluiniani, atque inde ſelectorũ venialia omnia peccata, reiectorum mortalia (vt vulgo aiunt) eſſe docẽt. An Saül, an Iudas, Deo nunquam accepti fuerunt? *Eſt qui ad tempus eligitur (inquit Ambroſius) ſicut Saül, & Iudas, non de præſciẽtia, ſed de præſenti iuſtita. Et ſpiritus Domini receſſit à Saül, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.* Si ſpiritus ſanctus a Saule diſceſſit, illi igitur antea inſidebat, illi gratiam ſuam communicabat. Adde quod eundẽ ſelegerat Deus, ac populo ſuo regem de-

Ambro. in c. 8. ad Ro.

1. Reg. 16.

ſtinarat: vt Deo aliquando fuiſſe gratum, etiam ſi inter reiectos re vera numeraretur, nemo inficiari poſſit. Subſcribit his in

Ezech. 18. hæc verba Ezechiel. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omneis abominationes, quas operari ſolet impius, nũquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur.* Et paulò pòſt. *Quum enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatẽ, morietur in eis, in iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur. Et quum auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* Quemadmodum itaq; ſelectus grauiter aliquando peccat, ſed mox reſipiſcit, ac proinde ſalutis fit compos: ſic & reiectus piè aliquãdo viuit, Deóque eſt acceptus, ſed mox à recta via deflectit, vitiiſq; obruitur, idcircóque Dei indignationem ſubit: Ille vitæ, ſalutiſque fit particeps, hic æterna morte, ſuppliciòque mulctatur. *Hoc præceptum tibi commẽdo Timothee (inquit*

1. Timoth. 1 *Paulus) vt milites bonam militiam, habens fidẽ, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus eſt*

Hymenæus, & Alexander. Si fidem habuerunt Hymenæus & Alexāder, Deo accepti fuerunt, imò ſi Caluinianis creditur, certi de ſalute ſua fuerũt: & tamen traditi ſunt Satanæ, & ſi tum mortui ſunt, profectò gehennæ addicti ſunt: traditos ſatanæ proditum eſt, mox reſipuiſſe proditũ non eſt. *Quinetiam Epheſinæ Eccleſiæ angelo hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum. Habeo aduerſum te pauca quæ dicam, quod charitatem tuam primã reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: alioquin venio ad te, & mouebo candelabrum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* *Apoc. 2.*
Ecce cabdelabrum aureum, quò Dei gratiam piis illuceſcentem ſignificat, mouetur, & aufertur iis, qui à prima charitate exciderunt: quod ſi tum moriuntur, æternis tenebris addicuntur: & tamen ſi à gratia exciderunt, gratiá aliquando conſequuti ſunt. Quum igitur & ſelecti adulti peccare aliquãdo, & reiecti Deo nonnunquam placere poſſint, cur reiecti infantuli, qui nihil ex ſe peccarũt, & ſiquid peccarunt, peccato non ſuo, ſed alieno peccarunt, quod illis cum ſelectis com-

mune eſt, & diſertis verbis à fœdere non excluduntur, in matrum vteris, quemadmodum & ſelecti ſanctificari nõ poſſunt? quamuis mox & Dei gratia & ſanctificatione priuãdi ſint. An reiectis infantibus gratiã ſuam cõmunicare nõ poteſt Deus, quã reiectis adultis ſepenumero cõmunicat? Si enim electio in cauſa eſt, quominꝰ reiectis infantibus gratiã ſuã Deus cõmunicet, eadẽ in cauſa eſſe debet, vt nunquã reiectis adultis Dei gratia cõmunicetur. At aliquando cõmunicari reiectis adultis Dei gratiã multis ſcripturæ locis non ita pridẽ docuimus: vt igitur infãtibus quoque reiectis Dei gratia cõmunicetur, par eſt, falſique Caluinianorum axioma conuincatur, quo ſelectos dũtaxat re vera in matrũ vteris ſanctificari, reiectos autẽ re vera nõ ſanctificari aſſerunt. Vtróſque enim ſanctificari, aut neutros ſanctificari etiã ex eorundẽ placitis neceſſe eſt. Videtis quibus ex cauſis emergat, aut quomodo cõſiſtat Caluiniana ſanctificatio? quã qui è medio ſublatam non videt, in meridiana profecto luce cæcutit: Si ſublata eſt, baptiſmũ infantibus neceſſariò adhibendum inficiari nemo poteſt. Porro ſi

duę ſanctificationis ſunt cauſæ, vt traditis acutiſsimi miniſtri, quarum prior in Dei æterna electione, poſterior in Abrahami fœdere conſiſtit, infantulos nimirum ex æternitate ſanctificari neceſſe eſt: electionem enim, ſanctificationem, atque dilectionem tempore eſſe pares, & æternas docetis. Si ex æternitate ſanctificati ſunt infantuli, cur illos in matrum vteris ſanctificari dicitis? aut cur non potius ex æternitate ſanctificatos ſcribitis? quomodo autem ex æternitate ſancti erunt, aut ex ipſa conceptione, vt vos docetis? Certè ordine & natura prius eſt, vt ſint, quàm vt ſanctificentur: quum concipitur, nondum propriè dicitur infans. Sed vbi anima acceſſerit, quæ certo mox interuallo accedit, vt Theologi docent: an ſanctificabitur, quod necdum anima præditum eſt? At Deo omnia ſunt præſentia (inquiunt). vt Deo ſint præſentia omnia, at nobis nō ſunt, at natura ſua ſemper præſentia eſſe non poſſunt. Quid porrò dicimus aliud, quum Deo omnia præſentia eſſe dicimus, niſi Deum omnia noſſe, omnia tenere, omnia certò videre, perinde ac ſi iam eſſent præſentia, idcircóque

2. Petr. 3.
Hieron. ad Damaſum.

ea pro præſentibus habere? reuocētur ad dialecticos: ſubſtantia accidēte prior eſt: Et quanquam ſubſtantia ſine accidente in genere eſſe non poteſt, ſubſtare enim accidenti debet: Tamen ſine hoc, aut illo eſſe poteſt: Porro ſanctificatio ex eo accidentium genere eſt, quæ homini & adeſſe & abeſſe plærumque poſſunt. Vt igitur ſit infans, antequam ſanctificetur neceſſe eſt. *Atqui electio (inferunt) ſanctificatio, dilectio, tempore paria ſunt, & æterna*. Iſtud verò vobis acuti Dialectici ſanus nemo conceſſerit: Electio, & dilectio qualitates ſunt, quæ eligentibus, & diligentibus, non electis aut dilectis inhærent: vel quę ad eligentes & diligentes, non ad electos & dilectos propriè referuntur, tanquam illorum actiones: quæquidē quod electi vel dilecti nondū ſint, ideóque affectiones huiuſmodi ſuſcipere nondū poſsint, nihilominus ſua efficacia non priuantur, hoc eſt eligentium actiones, & quædam affectiones eſſe non deſinunt. idcircò eligi & diligi poteſt qui nondum eſt. verbi gratia: Pater moriturus poſthumum hæredem teſtamento relinquit, hoc eſt, hæredem eligit: qui fieri poteſt vt eum eli-

d. pag. 11.

gat,qui nondum eſt? quod electio in eligente ſit. i. ad eligentem referatur tanquam eius actio, quæ mox in electum vbi in lucem fuerit æditus, vim ſuam exerceat. In matrimoniorum contractibus ſæpenumero conuenitur, vt maior natu filius hunc, aut illum fundum priuatim poſſideat, reliquum patrimonium ex æquo cum fratribus diuidat: Nónne hic eligitur, qui nondum eſt? Eadem de dilectióne ratio reddi poteſt: qui enim ita eligit,& quodammodo diligit, etiamſi qui diligitur,nondum ſit: Petrum fidei, Ioannem virginitatis, & ſublimitatis in conſcribendo euangelio, Paulum doctrinæ, & in eodem propagando euangelio diligentiæ ergò tanto ante vita functos diligimus. Quemadmodum itaque præterita, ſic & futura diligimus, etiam ſi qui diliguntur, vel nondum ſint, vel etiam eſſe deſierint. Eadem de fide conſideratio eſt: Fides enim credenti inhęret, non ei in quem creditur:Sic Abrahamus in eum, qui nondum erat, hoc eſt, in Chriſtum, antequam naſceretur credidit:Sic,hoc eſt,fide,Chriſti diem(vt inquit Ioannes)tanto ante proſpexit. Sic

Geneſ.15.

Ioann.8.

primæ legis (naturalem vocant) Moſaïcæque pij illi patres in futurum Meſſiam, & qui nondum erat, crediderunt. At ſanctificationis longè alia ratio eſt, planéque diuerſa: Sanctificatio enim ſiue ſanctitas qualitas eſt, quæ ſanctificato non ſanctificanti inhæret, quamuis à ſanctificante vis ſanctificandi proficiſcatur. idcirco niſi prius ſit, ſanctificari nemo poteſt. Id perſpicuè docet Auguſtinus, qui locus à Belcario omiſſus non eſt. *Prædeſtinatio noſtra* (inquit Auguſtinus) *non in nobis facta eſt,* Auguſt. in Pſal. 150. *ſed in occulto, apud ipſum, in eius præſciētia: tria vero reliqua in nobis fiunt, vocatio, iuſtificatio, glorificatio.* Itaque eligi poteſt, qui nondũ eſt, nẽpe apud Deũ, in occulto, in ei⁹ pręſciẽtia, vt Auguſtini verbis vtar: at ſanctificari, iuſtificari, glorificari, antequã ſit, nemo poteſt. Quod & vos vel arguente conſcientia inuiti, vel argumenti quod tractatis obliuione, ignorãtiáque animis veſtris tenebras offundente imprudentes fatemini, & vobiſipſi apertè contradicitis: Sic enim ſcribitis. *Sequitur quos Deus* eadẽ pag. 11 *elegit, ab æterno decreuiſſe in Chriſto ſanctificare, iam inde à primo conceptionis momento, vt plenè ſancti ſint, ſanctificatos deinde diligere, quód-*

que ſemel ab æterno decreuit, ſuo deinde tempore reipſa exequi, quum nihil fruſtra facere poſſit. Fatemini (inquam) Deum ex æternitate decreuiſſe ſanctificare quos elegit, at nō reipſa exequi.i.ſanctificare, niſi ſuo tempore: quum igitur ſanctificatio ſit diuini illius decreti exequutio, vt veſtro more loquar (neque enim Deus ſanctificat, quum ſanctificare decernit, ſed quū ſanctitatem infundit) nec ea fiat, niſi ſuo tempore, hoc eſt, quum fuerit cōceptus, qui fuerat electus, neceſſario conficitur ſanctificationem electioni, ac diuino decreto non eſſe æqualem, ac tempore parem, vt ſcribitis, neque itidem dilectionis eſſe cauſam. Quod etiam apertè docet veſtræ huius Apologiæ, vel author (quod vero ſimilius eſt) vel ſaltem cenſor, atque amplicator, ſui nimis imprudenter oblitus, nam & illius phraſin, & quid vos poſſitis, ſatis nouimus: tum vero quæcumque ferè Apologia veſtra profert, ex Caluini, eiuſque commētariis deſcripta, aut verbis nonnihil commutatis repetita deprehenduntur, vt non tam aduerſum vos, qui nihil ex veſtra penu attuliſtis, quàm aduerſus illos nobis decertandum

Beza de abſterſion. Calumniarum quib' aſperſus eſt. Cal. in 2. errore.

ſit. Sic autem ſcribit. *Ex his affirmo Heshuſi dilectionem* Dei, *non tantum noſtræ ſalutis, ſed etiam eius* (*vt ita loquar*) *medij per quod ſeruati ſumus.i.incarnationis Chriſti, & eorum quæ inde conſequuta ſunt, primariam eſſe cauſam & originem. Huius enim dilectionis cauſam in quo tandem præterquam in ſemetipſo, reperit* Deus? *Nam quod ad filium attinet, charitas iſta gratuita fuit illi cum patre communis, ac proinde nullum eius præcedens meritum cogitari poteſt, ſicut etiam nobis in* Dei *verbo ſpectandum proponitur, quo ſit pater ad generis humani redemptionem obligatus.* Et paulo poſt, vbi eandem gratuitam dilectionem etiam ſpiritui ſancto cum patre docuit eſſe communem, Hæc addit. *Ipſe quoque ſpiritus ſanctus nónne eadem illa charitate impulſus, nos in Chriſto iuſtificat, & ſanctificat*: Si Dei gratuita dilectio ſiue charitas ſalutis noſtræ, & mediorum eius primaria cauſa eſt, & origo, vt docet & loquitur Beza, Dilectio nimirum non ſolum ſanctificationis, ſed etiam diuinę electionis cauſa eſt. Itaque neque ſanctificatio cauſa dilectionis, neque ſanctificationis prima cauſa eſſet æterna Dei electio, vt ſcribitis, ſed gratuita dilectio. Falſò igitur electionem, ſanctificationem, dile-

ctionem tempore pares, & æternas dicitis acutiſſimi miniſtri: Falſò dilectionem ſanctificationi, tanquam effectum cauſæ ſubſtituitis: Et dilectio, cuius meminit Paulus, ab electione non multum differre, aut fortaſſe cauſa eſſe diuinæ electionis videtur: Falſò infantium ſãctificationem ex corrupto Dei verbo confirmare, atque nobis obtrudere tentatis. Quod ſi in proferendis ſanctificationis cauſis toto cœlo aberratis, & ſibi pugnantia inuicem committitis, ac nihilominus tanquam probè coherentia copulatis: Si Dei verbum noua, & huc vſque inaudita interpretatione mutilatis, ſi ad veſtra commenta malignè detorquetis, quis inuectam à vobis ſanctificationem commentitiã eſſe non videt, & ex diametro cũ Dei verbo pugnantem? quis infantes peccato originis ablui non poſſe, ſi legitimam viã reſpicimus, niſi baptiſmus admi niſtretur, nõ agnoſcit? quis vos ipſo Hero de truculẽtiores, & huic ætati infenſiores nõ animaduertit? ille enim corporũ cædẽ molitus eſt, vos animarum ſempiternum exitiũ, mortémque miſeris infertis.

Secunda Calumnia.

QVAE ſuperiore Calumnia explicata ſunt, huic eluendæ abundè ſatisfacere poſſunt: quam acuti homines tam leuiter perſtringunt, vt non attigiſſe, quàm defunctoriè ita percurriſſe, ſatius fuerit, quod & aliis multis locis præſtiterunt. Nam ſi quid illos acrius vrget, tum id magni theologi, aut tanquam nõ legerint, audacter prætereunt, aut ab aliis antea reſponſum eſſe prædicant. Abrahamum cum Adamo à Caluinianis diſertis verbis conferri non ſcripſit Belcarius, ſed id ex illorum ſcriptis conſequi manifeſtum eſt, quamuis aliqua (vt in omnibus collationibus vſu venit) interueniat diſſimilitudo, & hunc locum iam ſatis enarrauimus. In Chriſti autem & Adami collatione ita agebat Belcarius. Si Adami peccatum reipſa inficit, vt Chriſti gratia nos reipſa abluat, conſentaneum eſt, non iuſtitię imputatione, vt tradunt Caluiniani, alioqui Adami peccatum Chriſti gratia non exuperat, imò verò longè inferior eſt. Non quod non maneat ille

peccati fomes(concupiſcentiam vocãt) quem ante peccatum Adamus non ſenſit. Sed nihil is impedit quominus homo re uera peccatis abluatur, langorem in regeneratis,vitium, morbum natura inſitum vocat Auguſtinus: At peccatum,niſi conſenſus interueniat,idem nõ eſſe confirmat.Et Iacobus concupiſcentiam,non ante peccatum eſſe ſcribit quàm conceperit,ac pepererit, concipit autem dum peccati materiam ſuggerit,ac delectatur: parit aſſenſu. Si igitur re vera homo peccatis ablutus eſt, & ſpiritu afflante renouatus,atque in alium hominem commutatus, re vera per ſe,non aliunde quæſita, mutuóve accepta,ſibíque imputata iuſtitia coramDeo iuſtus eſt, etiamſi ſemper pungentem illum prurientis carnis aculeum, quaſi morbũ quendã circunferat, ac ſecũ ferat, ideóque iſthac parte Adamo nondũ peccãte inferior ſit,atque imperfectior.Perfectus autem omni ex parte erit, *quum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*, vt ſcribit Paulus, tum enim planè in integrum reſtituentur, reſurgentes corpore, & animo prorſus ſancti, Deo ſimi-

Aug. ſermo. 45. de tempore.

1. cor. 6.

les, eadem quæ ille, nec quicquam aliud volentes: tum plura & multo illuſtriora recuperabimus, quàm per Adamum amiſimus: tum verè elucebit Chriſti gratia, maiorque Adami peccato erit. Tametſi autem hæc illuſtria Chriſti beneficia nondum integra in ſe pij experiuntur, ſine peccato nihilominus, quod mortem pariat, eſſe non deſinunt, etiamſi nonnullos concupiſcentiæ æſtus ſentiãt,
Rom. 8. modo non aſſentiantur: *Nam quum nihil damnationis ſit his qui in Chriſto ſunt* (vt ſcribit Paulus) regenerati autem in Chriſto ſint, ſupereſt vt in illis nullum ſit, neque deprehendatur peccatum, ſi propriè peccatum accipias, quod ſemper mortem, & damnationem ſecum trahit: alioqui aliquid damnationis illis ineſſet, vt cũ Paulo ita loquamur. At concupiſcentia regeneratis quandiu hic viuunt, ſemper ineſt, neceſſario itaque conficitur, vt in illis cõcupiſcentia non ſit peccatum. Sic cum præcipitur, ne concupiſcamus, aſſenſum ne prębeamus lex iubet: at repẽtinas ὁρμὰς, cõcupiſcendíq; apprehẽſiones quibus tã tũ abeſt, vt aſſentiamur, vt eaſdem ſtatim ſpiritu timoris Dei corrigamus, non interdicit:

terdicit:neque enim interdiceret, quod homo vitare non poſſet. Sic Auguſtini definitionem interpretamur, qua peccatum eſſe docet factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei: neque enim cõcupiſſe dicitur, qui ſtimulum aliquem ſenſit,nec tamen aſſenſum præbuit, alioqui ſibi inuicem pugnantia doceret Auguſtinus. Tum verò ea definitio, non ad peccatum originis,ſed ad adultorum peccata refertur, quibus nullum peccatum ineſt,niſi idem ſit & voluntarium. Quod ſi quis Chriſti gratiam,tum demum Adami peccato ſuperiorem fore contendet, quum carnis concupiſcentia prorſus exuta vita beata perfruemur: quod tum demum planè ſancti, Deóque ſimiles erimus,nihil aliud quam ille,prorſus volentes,hic autem tantiſperdum concupiſcentia nobis inſidet,cedere.Primum rogabo, quoſcripturæ teſtimonio, aut qua veterum ſcriptorum authoritate Paulum ita reſtringet,vt ad futuram vitam duntaxàt iſtam gratiæ Chriſti exuberantiam referat. Deinde eruditiſsimos Caluinianos miniſtros interrogabo,quomodo illa ratiocinatio conſiſtet, qua ſic agebãt Ada-

mus Chriſti typus fuit: vtérque quod naturæ ſuæ proprium eſt, ſuis velut ramis truncus, infundit: ille ſordes, peccatum, iniuſtitiam, hic puritatem, gratiã, iuſtitiã. Quemadmodum igitur ex conceptu fœtum inficit Adamus, ita & ſanctificat Chriſtus: alioqui Adami peccato inferior eſſet Chriſti gratia. Nónne hic in infantibus Adami peccato potẽtiorẽ Chriſti gratiam agnoſcunt, nec ad alteram vitam referunt? Quæram pręterea quomodo Pauli dictum quadrabit, *Vbi abundauit delictum* (*inquit*) *ſuperabundauit & gratia.* Si futurã vitam ſolum reſpicimus, quãtum ad ſanctos attinet, iam nõ amplius in illis abundat peccatum, in impiis nullo modo Chriſti gratia ſuperabundare poteſt. Adhæc quod Chriſti gratiam etiam ad hanc vitam hoc loco referat, atque etiam hic magis exuberare pronunciet, manifeſtè indicat ipſe Paulus. Subiicit enim: *Manebimus in peccato, vt gratia abundet?* Et paulo poſt. *Non regnet ergo peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius: Sed neque exhibete membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos* Deo, *tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſti-*

Caluiniani in ſuo cẽtone gallicè ſcripto in tertia ratiocin.

Rom. 5.

tiæ Deo,peccatum enim vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege,ſed ſub gratia. Exuberat igitur hicChriſti gratia,atque Adami peccato ſuperior eſt, tametſi languentem concupiſcentiæ morbum adhuc retinemus, qui cum certemus, quouſque extremum ſpiritum exhalemus. quum autem hic affectus Sanctis victoriæ materiam præbeat, nónne illis non tam Adami peccatum obeſt, quàm prodeſt Chriſti gratia? Nónne in ſanctis hac vita fruentibus,Chriſti gratia, magis quam Adami peccatum exuberat? Exuberat (inquam) dum non ſolum originis peccatum ab Adamo propagatum, ſed & cætera peccata omnia verè abluit, etiamſi aliquæ veluti peccatorum cicatrices ſuperſint, quæ nos vtique infirmiores remorantur, at peſſundare non poſſunt, niſi illis ſpõte ceſſerimus. Exuberat dum nos ſanctificat, Chriſto vnit, atque coniungit: vt iam audacter illud exclamare poſſimus, Abba pater. Alioqui quomodo hic Chriſti gratia, magis quàm Adami peccatum exuberaret? Ad hæc autem quid reſpondent acuti miniſtri? *Conatur quidem (inquiunt) hoc argumentum la-*

pag. 13. *befactare Belcarius, ſed ita frigide, vt intactum relicturus fuiſſe videatur, niſi vanam hanc gloriolam aucupatus fuiſſet, nullum à nobis productum argumentum, quod non confutatum ab ipſo ſordeat.* Itáne verò vobis frigida eſt, & nullius momenti Belcarij ratiocinatio? Cur igitur intactam relinquitis? qui nihil intactum, quod vel in minimam calumniæ ſuſpicionem cadat, relinquitis? Hæccine Apologia eſt? an non omnino nihil reſpondiſſe, quàm ſic reſpõdiſſe præſtabat? ac ne me tibi verba dare exiſtimes pie lector, confer quæſo Belcarij libellum cum Geneuenſi iſta Apologia: & me veritate niti agnoſces, & deprehenſas iſtorum verſutias, detectáſque iudicabis.

Tertia Calumnia.

pag. 13. & 14. 1. Cor. 7. QVVM *ſcribit Paulus (inquiunt) maritum infidelem à fideli vxore ſanctificari, ex impio, pium, ex impuro purum opera vxoris reddi interpretatur, Belcarius. Quam interpretationem etiam in liberis recipit. At infœlix rhetor, non videt ſe Pauli ſententiam hoc modo planè euertere: neque enim ſanctificandum eſſe mari-*

tum per vxorem tempore futuro, ſed iam ſanctificatum, inquit Paulus. At fœlices miniſtri (quanquam iſtam fœlicitatem vobis non inuideo) qui tam magnificè in veſtro regno triumphum ante victoriam canitis, vobis non Belcarius, ſed Paulus ipſe reſpondet, ſe eam ſanctitatem, ſiue ſanctificationem, non ſolum ad præteritum tempus, ſed etiam ad futurum referre: ſubiungit enim. *Quî ſcis mulier, an virum ſis ſeruatura, aut qui ſcis vir, an vxorem ſis ſeruaturus?* Atque his verbis quam ſanctificationem ab vxore fideli, marito infideli, aut contra, conferri dicat, manifeſtè indicat: nempe infidelem coniugem à fideli, ita in religione inſtitui, vt mox ſanctitatem, & poſtremo ſalutem conſequatur. Quod confirmat à Belcario citatus, & à Beza tantopere laudatus Theodoretus. *Præcipit ſanis (inquit) [illegible] ſanctis. i. fidelibus, vt coniugum imbecillitatem ferant, & eorum ſalutem procurent.* Quæ autem præceſſit periodus, tempore indefinito, vt grammatici loquũtur, enunciata eſt: quaſi dicat, aliquando vir infidelis opera vxoris fidelis ſanctificatus eſt, & contra, vxor infidelis opera viri fidelis aliquando ſanctificata eſt:

Theodoretus in c. 7. 1. Corint.

quod ſi iam ita vſu venit, & vt in poſterum itidem vſu veniat, vero ſimile eſt. *Qui enim ſcis mulier, &c.* Et in hunc ſenſum hunc locum interpretatur Auguſtinus.

Aug. de ſer. dominic. 27 Et lib. 3. de pecc. mer. & remiſ. c. 12.

Addunt fœlices miniſtri. *Quale porro ſit argumentum Epiſcopi videamus. quæſtio eſt, an matrimonium inter fidelem vnam perſonam, alteram vero infidelem contractum, ſit ſanctum ac proinde fidelis illo teneatur.* Iam vos ad rhetoras infeliciſſimi miniſtri, non eos qui diſertè orant, aut ſcribunt, ſed qui leuibus præceptiunculis balbutientes adhuc pueros erudiunt, aut potius ad eorum ferulas relegandos conuinco, qui tam malè huius quæſtionis ſtatum intellexiſtis. Non in eo vertitur huius quæſtionis cardo, an matrimonium inter fidelem, infidelémque coniugem ſit ſanctum, ac proinde fidelis illo teneatur, vt vos loquimini. Neque enim Paulus de matrimonij ſanctitate vllum verbum facit: Sed in hoc an fidelis coniux infidelis coniugis conſuetudine polluatur, ac proinde matrimonium diſſoluendum ſit. Nam quum vir & vxor vnum ſint corpus, infidelis autem pollutum ſit corpus, atque animus, conſentaneum videbatur

pag. 14.

vxoris fidelis,quæ cũ viro infideli cõiungebatur, corpus eſſe pollutum,imò verò ipſam fortaſſe omni ex parte eſſe pollutam: Satiúſque fore vt matrimonium diſſoluatur, quam ſi viri infidelis contagione vxor fidelis polluatur. Reſpondet Paulus,diſſoluendum non eſſe quod tantum abſit, vt fidelis eo matrimonio polluatur, vt contra, multum plærunque proficiat, & infidelem coniugem ſanctificet, ad Chriſtúmque adducat, & illi addicat: vt ſeſe ſatis Paulus interpretatur: Nam paulo ante dixerat, *iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere,quod ſi diſceſſerit, manere innuptam,aut viro ſuo reconciliari*:ſubinferebatur quęſtio de matrimonio impari,quod cõiux fidelis, infidelis cõiugis impuritate pollui ſeſe exiſtimaret:Hũc ſcrupulum aufert Paulus, dum ait. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, &c.* Quaſi diceret: Etiãſi cũ infidelibus iugũ ducere nõ debeamus,vt ille alio loco pręcipit,hoc eſt,tametſi fideles cum infidelibus matrimonia cõtrahere nõ debẽt, tamen ſi ex infidelibus alterum coniugẽ ſelegerit Deus, & ad chriſtianam pieta- 1.Cor.6.

tem vocarit, non eſt cur fidelis religionis prætextu ab infideli diuertat, aut cur ſe mutua copula inquinari exiſtimet, tãtum enim abeſt, vt fidelis polluatur, vt ſępe infidelem coniugem ad eandem pietatem vocet, atque ſanctificet. Quod ſi ne id quidem aliquando poteſt, ea eſt nihilominus diuinæ bonitatis natura, ea ſpiritalis gratiæ fideli coniugi infuſæ vis, atque conditio, vt plus poſſit ad conſeruandam quam infidelis impietas ad polluendam fidelis ſanctitatem: vt hæc ſanctitas ſemper ad coniuges, ad coniugum autem nullo modo referatur. Sed huius interpretationis poſtrema pars verbis Pauli expreſſa non eſt. Improprié enim coniugem infidelem ſanctificatum diceret, intelligi autem fortaſſe non incõmodè poteſt. Hanc huius loci germanã eſſe explicationẽ multis argumẽtis confirmauit Belcarius, & vos, niſi obſtinata veſtra

Eadẽ pag. 14. peruicacia ſpiritui ſancto reſiſteretis, germanã eſſe agnoſceretis. *Qua tamẽ piorũ conſciẽtiis nõ ſatisfieri fruſtra querimini, quod hæſitabũdæ quærent, quid ſi nõ detur lucrari?* reſpõdebunt enim fideles coniuges, etiam ſi lucrari nõ detur, nos nihilominus iuſto of-

ficio defuncti, conſcientias noſtras bona ſpe conſolabimur, quod Deus cui corda noſtra patent, humanas actiones, non rerum euentibus, ſed piis agentium voluntatibus metiatur· Quod autem non ſemper bene ſuccedat, verba illa Pauli (vt dixi) manifeſtè indicant. *Quî ſcis mulier, an virum ſis ſeruatura.* *Eadē pag. 14. & 15.*

At longè aliter conſcientiis pacem affert Paulus (inquiunt) dum teneri coniuges matrimonio iſto impari duabus rationibus probat: priorem attigimus, nimirum ſanctum eſſe hoc impar matrimonium, quia maritus infidelis ſanctificatus ſit per vxorem fidelem, non quidem in ſeſe, ſed vxoris reſpectu: quod huius pietas plus valeat ad ſanctificandum matrimonium, quam mariti impietas ad polluendum. Altera ratio ducta eſt ab effectus ad cauſas, hoc pacto. Sanctum eſſe hoc impar matrimonium, quia ſancti ex eo procreentur liberi. Sanctos autem procreari pro cōfeſſo ſumit, quia de promiſsione conſtaret: quia ſingulis fidelibus promiſit Deus ſe ſeminis quoq; ſui Deū fore. Siquoniam matrimonium ſanctum eſt, idcirco diſſoluendum non eſt: Et matrimonium etiam impar ſanctum eſt: quî fit vt infideli cōiuge diſcendente fideli permittat Paulus diuortium, & fratrem aut

ſororem tum huic ſeruituti addictum nõ putet? *Sanctum eſſe dicitis impar matrimoniũ, ac proinde fidelem cõiugem illo teneri. Quod plus valeat fidelis pietas ad illud ſanctificandum, quã infidelis impietas ad polluendum.* Cur igitur (vt dixi) diuortiũ permittitur? & ita permittitur, vt derelicto, vel derelictæ ad ſecundas nuptias tranſire liceat, quemadmodũ Ambroſius interpretatur. Nam ſi quoniã ſanctum eſt, diſſolui nõ debet, nunquam profecto diſſolui debet, ſiue coniux infidelis maneat, ſiue diſcedat: quod eius diſceſſio matrimonij ſanctitatem corrũpere, aut polluere non poſſit. Ac proinde (ſi vobis creditur) nec iuſta matrimonij diſſoluendi cauſa eſſe poſsit: quũm plus valeat fidelis pietas ad illud ſanctificandum, quam infidelis impietas ad polluẽdum. Vbi Paulus hac illatione vſus eſt, nempe quod ſanctum ſit matrimonium, non debere diſſolui? aut quomodo id ex Paulo colligi poteſt? Nuſquã Paulus matrimonium impar ſanctũ eſſe dixit: quod vos illi falſo affingitis. Multò verò minus, quod ſanctum ſit, non diſſoluendum eſſe intulit. Neq; enim toto illo capite de coniugij ſanctitate, ſed de coniugum ſancti-

Ambr. in cap. 7. 1. Corinth.

ficatione loquitur Paulus, vt apertè falſi impudentia veſtra cõuincatur. Vbi dixit Paulus fidelis coniugis pietatem plus valere ad ſanctificandum matrimonium, quam infidelis impietatem ad polluendum, nónne hęc malignè aſſuitis, & Paulum corrumpitis? Quod enim ille de con iugibus pronũtiauit, vos imperitè ad con iugium ipſum transfertis, nec nouã iſtam interpretationem vlla ratione confirmatis. Addam & illud, Si quoniam matrimo nium impar ſanctũ eſt, ideo diſſolui non debet, quod plus valeat fidelis pietas ad illud ſanctificandum, quàm infidelis impietas ad polluendũ, quomodo vos Emanuelis natione Iudæi, & mox veſtri proſe lyti (ſi ita loquendum eſt) quem inter magnos Rabinos numeratis, matrimonium cum vxore, aut potius adultera in veſtris eccleſiis tolerare potuiſtis? illa enim inuito priore viro diſceſſerat, & ad Argetinẽſes migrarat, mox Emanueli nupſit, priore illo nondum vita functo. non ſolum autem impium hoc matrimonium tolera ſtis, ſed & Emanuelem ipſum vxoris nomine à prioris mariti hæredibus dotẽ repetentem vnà cum iis qui publicis iudi-

ciis præerant,fouiſtis, vtque adulteræ illi dos adiudicaretur, ſumma diligētia procuraſtis. quod ꝑfectò viri boni in primis mirari debuerūt: quū enim illa nulla eccleſiæ Romanæ, nulla veſtrarum interpoſita authoritate,à viro priore inuito diuertiſſet, & adulterum loco legitimi mariti ſibi quæſiuiſſet, quo iure à relicti mariti hæredibus dotē repetere potuit? Poſſem permulta alia proferre temere,& ſine legitimis cauſis diſſoluta in veſtris eccleſiis matrimonia, niſi vos domeſticis exēplis magis affici exiſtimarem. Quod ſi ſanctificationem, aut ſanctitatem alteri coniugum inſitam,aut vi fidei comparatā Paulus loco iam commemorato indicare, atque inde vinculū ipſum matrimonij ſanctum eſſe ſignificare voluiſſet,dixiſſet nimirum potius cōiugis fidelis ita ſanctum eſſe corpus, vt infidelis cōiunctione pollui non poſsit, idcirco & ipſum quoque nexum eſſe ſanctū, quod plus illius pietas ad conſeruādam, quam huius impietas ad violādam ſanctitatem poſsit. Hinc matrimonium ipſum & ſanctum eſſe & temerè diſſoluendum non eſſe intuliſſet: quamuis nunquam aut nulla ratione diſ-

ſoluendum inferre non potuiſſet, quod ſi quando ſalua pietate in matrimonio permanere non licet, permittat ipſe diuortium. quam autem matrimonio ſanctitatem affingere poſſumus, niſi eandem in coniugibus ipſis interpretemur? Si item coniugis infidelis corpus idcirco fidelis opera hactenus ſanctificatum quis dicet, quod fidelis corpus illius coniunctione nō polluatur, quum plus poſsit iſtius pietas ad ſanctificādum ſuum vas, vt loquitur aliquando Paulus, quam illius impietas ad illud polluendum, is nimirū & impropriè loquetur, & ſanctitatem à fideli, ad infidelem coniugem non ſatis cōmodè trāsferet. Quod de Paulo temerè coniicere non debemus. Nō enim fidelis ſanctitas infideli cōmunicatur, ſed fideli ſua ſanctitas integra, inuiolatáque ita conſeruatur, ne infidelis contagione, etiam ſi vnum corpus fiant, aut impuritate pollui aliquādo poſsit. Itaque ſi in hunc ſenſum Pauli verba quis interpretetur, vir infidelis, fidelis vxoris opera ſāctificari propriè non dicetur: quum potius vxor ipſa ſancta permanere dicēda fuerit, etiam ſi impuro marito copuletur: quanquam & iis

loquendi formulis, nonnunquam eccleſiaſtici ſcriptores vtuntur: Sed ſi ita duntaxat Paulum interpretabimur, nec aliud quicquam addemus, matrimoniũ (vt dixi) nunquam diſſoluendum inferre inde non poterimus, vti inferre Caluiniani videntur. Aiunt enim cõiuges matrimonio iſto impari teneri .i. hoc nexu ita aſtringi vt diſſolui non poſsit. Tum verò ſola cõiectura ex impropria loquendi formula Paulo interpretationem aduerſus veterũ ſcriptorum interpretationes pugnantem aſſuemus. Quomodo autem ſanctos inde Chriſtianorum liberos inferemus? Nã vi fœderis ſanctos, vel eſſe, vel dici non poſſe mox docebimus. Huncine igitur huius loci ſenſum ſanus quiſquam iudicabit? abſit, abſit (inquam) nam vice verſa diſſolui non debere, ait Paulus, nõ quod ſanctum ſit, ſed quod inde & coniux infidelis plærumque ſanctificetur, & ex eo coniugio naſcentes liberi. Veniamus ad alteram rationem. *Argumento ab effectis ad cauſas ducto, matrimonium impar ſanctum eſſe ſcribit Paulus (inquiunt) nempe quod ſancti ex eo procreentur liberi: Sanctos porro procreari pro cõfeſſo ſumit, quia de promiſsione conſtabat.* Os

impudens(ſcio verò quem alloquar)quis vnquam veterum locum Pauli ad Abrahami fœdus reuocauit? qua ſcriptura aut illuc reuocatum, aut pro cõfeſſo habitũ, ſumptúmve probabis, ſanctos ex huiuſce modi matrimonio naſci liberos, quod de promiſſione conſtaret. Pro confeſſo ſumis quod maximè tibi probandum fuit: quis enim antè hos quinquaginta annos, hoc eſt antè natas hoc ſeculo hęreſes,aut potius antè Luterianæ hæreſeos, in multas ſectas ſectionem ſcriptor eccleſiaſticus non ſolum id pro cõfeſſo habuit, ſed omnino ſomniauit: Nouam hæreſim,inuehunt Caluiniani, ſanctos ſcilicet in matrum vteris naſci, imò veró concipi Chriſtianorum liberos, id quum nulla ſcriptura, aut eccleſiæ traditione,aut veterũ ſcriptorũ teſtimonio probare poſſint,imò verò quum id aduerſus eccleſiæ authoritatem, aduerſus omnium quotquot de religione ſcripſerũt interpretationes,ac præter illorum ſententiã inuehant, nihilominus idipſum à Paulo pro cõfeſſo ſumptũ iactãt,& quaſi illorũ dicta pro oraculis ab vniuerſo orbe Chriſtiano recipiẽda ſint, hoc vno ſuo effato omneis noſtrorũ ratio

nes euerſas perſuadere conantur, ac tum demum nihil aliud, quàm verbū Dei crepant: ſibi id pluris eſſe vociferantur, quā omneis homines, vtcunque ſint pietatis, doctrinæ, ſanctitatis nomine laudati. At quale ſit iſtud Dei verbum omneis quotquot diligentius expendunt, facilè deprehendunt: ne verbis inanibus obiectis, ita nobis imponere in poſterum pergāt. Sic olim pſeudoprophetæ, verbum Domini, verbum Domini intonabant, quum meras Satanæ canerent præſtigias. Si igitur nullam ſcripturam habes præclare Apologiarum artifex niſi impiè, miſeréq; detortam, niſi falſa, & ab eccleſiæ eccleſiaſticorúmque ſcriptorum conſenſu aliena interpretatione peruerſam, quod hæreticorum proprium eſt, an te aduerſus ſpiritum ſanctū, aduerſus ſacroſanctam vniuerſæ eccleſiæ maieſtatem, mentiri nō vides? an non pertimeſcis, ne in te iuſtum
Acto. 15. Ananiæ, Saphiræque renouetur exemplum? Quis ſtupor cerebrum tuum occupauit? Quis veternus obſtruxit, vt nobis iſta quaſi non ſentiens euomeres? An tibi admouēdæ ſunt faces, quæ te ex iſto graui, & verè lætali ſommo excitēt? Etiámne

impia

impia tua ſomnia pro verò Dei verbo nobis obiectare perges? Etiámne tam ſtipites, tam fungos nos exiſtimabis, qui fucata tua mendacia à ſyncera ſcripturæ veritate diſcernere non poſſimus? Abrahamo ait Deus, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Gen. 17. Clara promiſſio eſt: cuius rationẽ copioſè Belcarius enarrauit. Deus itaque eſt Deus Abrahami, & eorum qui Abrahamum fide referẽt, hoc eſt, eos pro ſuis agnoſcit. Sed quis niſi inſanus ſanctos inde fidelium liberos procreari inferet? Nónne rationẽ reddit Deus cur ſe Abrahami Deum profiteatur, & fœdus cum illo ineat? hoc eſt fœderis cõditionem explicat? *Benedicentur (inquit) in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* En conditio fœderis: benedicentur Abrahami poſteri, nimirum ſi Dei verbo parebunt: ſi verbo Dei certam, cõſtantémque fidem ſine vlla hęſitatione adhibebunt: Quemadmodum credidit Abrahamus Deo, & idcirco iuſtus corã Deo eſt habitus: Adultos ſine fide ſanctificari, aut iuſtificari, aut in fœdere cenſeri non poſſe extra cõtrouerſiam eſt. At infantibus quũ fides propriè tribui non poſſit, fidei vicem implet

baptiſmus, eccleſia fidem illis ſuam per ſacramentum, aut vi ſacramenti communicante. Sic infantibus prodeſt, non ſua, ſed aliena fides, nō ſecus ac mulieris Chananææ, quæ Gentilium (vt vocant) eccleſię ſymbolū fuit, fides filię profuit: quamuis omnino aliena non ſit, communis matris, hoc eſt, eccleſiæ fides. quomodo igitur ſanctificatos huius fœderis verbis in matrum vteris fidelium infantulos Caluiniani inferūt? Hæccine effutire audet, qui ſe ne tantillum extra Dei verbum ſapere iactat? an veró Dei verbum appellabit, quicquid aduerſus vniuerſæ eccleſiæ conſenſum Dei verbo temerè aſſuet? norint igitur pij, quale Dei verbum toties Caluiniani crepent, & quî ſeſe ſimpliciorum animis hoc prætextu malignè inſinuent. Laudatur Siſinnij conſilium, qui quum diſputationibus cum hęreticis initis, nihil profici, imò verò potius inde ſeditiones magis ac magis excitari videret, rogandos hęreſiarchas cenſuit, num ſcriptores eccleſiaſticos, qui ante id ſchiſma vixiſſent, ad eccleſiam pertinere exiſtimarent, an tanquā à Chriſtianiſmo alienos reiicerent? Quos ſi reiicerent hære-

Sorrat. hiſt. Eccle. lib. 5. cap. 10. Sozomenus lib. 7. c. 12.

tici, impudentiæ conuinci, ac proinde à Chriſtianorum cœtu exploſum iri confir mabat (qui flagrans religionis ardor, ſi no ſtro ſeculo retineretur, haud ita profectò Chriſtiani homines nouitatis, nouarúmque rerum ſtudio ducerentur) ſin reciperent, certam piis veterũ ſcripta proferentibus deſtinari victoriam. Hoc conſilium ſi reciperes, qui in ſcriptura interpretãda tã ingenioſus videri cupis, qui nihil extra Dei verbũ ſapis, an non te falſi, hoc eſt falſæ interpretationis inuectæ cõuictum faterere? An te nihil ſapere, imò verò planè deſipere, non agnoſceres? Si tamen interpretatio tua eſt, & non potius veſtri illius ſummi pontificis Caluini: quam ille nunquã vel ſcriptura, vel ratione, vel ſcriptoris alicuius pij ſuffragio cõfirmare potuit. Hic te obſecro pie lector, atque obteſtor, vt iſtorum impudentiam animaduertas: ſi quãdò in diſputationibus cum illis initis traditionem vniuerſæ eccleſiæ, eccleſiaſticorúmq; ſcriptorum cõſenſum proferimus, prouocant ad ſcripturam: Si ſcripturam adducimus, quæ nõ diſertè id de quo contentio eſt, ſed ex quadam conſequentia, aut paulò obſcuriùs exprimat,

(nam in multis quæſtionibus apertã ſcripturam quæ illas diſertis verbis diſſoluat, inuenire nemo poteſt)tum exclamãt confidentius ſe ſolum Dei verbum recepturos: Et tamen in ſuis nouis dogmatis ſtabiliendis,quum ſe ſcriptura deſtitui vidẽt,Dei verbum nihilominus obtendũt, ſed quod impia interpretatione corruperunt, tum pro confeſſo ſumptum, quod maxime controuerſum fuit, magna confidentia pronuntiant. Quum igitur commodam fœderis illius cũ Abrahamo initi, Paulinæq́ue ſentẽtiæ ex Paulo ipſo, & antiquis illis eccleſiæ luminibus interpretationem attulerit Belcarius, tam mihi promptũ eſt nouã iſtam quaſi à ſomniãte excogitatẽ repudiare, quàm Caluinianis nulla ſcripturę authoritate nitẽtem,nulla ratione fultam,proferre promptum fuit.

Quarta calumnia.

Pag. 16.
ITA *colligis (inquiunt) ſi infantuli in matrum vteris ſanctificantur, baptiſmo non indigent, cuius proprium eſt peccatorum ſordes eluere: ſed hoc tibi primum probandum fuit. fatemur quidẽ ſacramentaliter de baptiſmo dici poſſe, elui eo ſordes noſtrorum peccatorum, ſed propriè loquendo,*

id vero negamus conſtantiſſime: hoc enim eſſet elemento terreno attribuere, quod ſoli Dei miſericordiæ & ſanguini Chriſti, proprie cõuenit, atque ita deteſtabilem idololatriam erigere. Non ita collegit Belcarius. Nam vos alterum membrum omiſiſtis. Sic autem colligebat: Si infantuli in matrum vteris ſanctifi cantur, baptiſmo non indigẽt, aut ſaltem non ita indigent, vt illis in lucem æditis, baptiſmus neceſſariò ſit adhibendus, ſine cuius adminiſtratione, ſalutem conſequi poſſunt: tum verò baptiſmo peccata elui, multis libelli ſui locis probauit, ſi non prorſus obſtructas ad veritatem audiendam aures haberetis: quomodo autẽ baptiſmi proprium eſſe dixerit, peccatorum noſtrorum ſordes eluere, paucis accipite. In baptiſmi adminiſtratione duplicem actionem interuenire nouit Belcarius, imò verò pij omneis nouerũt, quod ſacramen ta, vt ſcribit Irenæus, & veſter Caluinus non negat, re terrena, cœleſtiq; conſtent: Exterior actio inſtrumentum eſt, aut cau ſa inſtrumẽtalis (vt loquũtur) interior propriè remiſſionis peccatorũ cauſa eſt: hinc qui baptiſmo initiantur, ex aqua & ſpiritu renaſci dicuntur, quod vt aqua corpus

ſic animã ſpiritus abluat: At ſpiritus & Dei patris, & filij eſt, vt hic triada adeſſe, nemo ignorare poſſit. Miniſter eccleſiaſticus, aut qui illius vice fungitur, quum baptiſmũ adminiſtrat, Chriſti miniſter eſt: ipſe verò Chriſtus tingit in remiſſionem

Matth.3. peccatorum, vt teſtatur Ioannes, *Ille vos baptizabit ſpiritu ſancto & igni.* quod tam apertè docet Auguſtinus, vt nemo niſi ad-

Aug. trac. 5. in Ioan. modũ indoctus ignorare, nemo, niſi prorſus malignus, diſſimulare poſſit. *Dominus autẽ Ieſus Chriſtus (inquit) baptiſmũ ſuum noluit alicui dare, nõ vt nemo baptizaret baptiſmo domini, ſed vt sẽper dominꝰ ipſe baptizaret. Id actũ eſt, vt per miniſtros dominus baptizaret, id eſt, vt quos miniſtri domini baptizaturi erãt, ipſe dominus baptizaret, non illi.* Et paulò pòſt. *Dicit ſe ſeruus baptizare, & rectè dicit: Sicut Apoſtolus dicit. Baptizaui autem & Stephanæ domum, ſed tanquam miniſter. Ideoque ſi ſit & malus, & cõtingat illi habere miniſterium: etſi eum homines nõ nouerũt, at Deus eum nouit: Permittit Deus baptizari per eum qui ſibi tenuit poteſtatẽ: Hoc autem Ioannes non nouerat in Domino: quia Dominus erat, nouerat: quia ab ipſo debebat baptizari, nouerat, & confeſſus eſt, quia veritas erat ille, & ille verax miſſus à veritate, hoc nouerat:*

Sed quid in eo non nouerat? quia ſibi retenturus erat baptiſmatis ſui poteſtatem, & non eã tranſmiſſurus & tranſlaturus in aliquem ſeruum: ſed ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus bonus, ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus malus, non ſciret ſe ille qui baptizaretur, baptizari, niſi ab illo qui ſibi retinuit baptizandi poteſtatẽ. Et alio loco, *Aug. trac 6. in Ioan.*
de Ioanne Baptiſta loquens. *Quid ergo per columbam didicit, ne mendax poſtea inueniretur? quod auertat à nobis Deus opinari, niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat. Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat.* Item Athanaſius. *Athana. Sermone 3. aduerſ. Arr.*
Vbi baptiſmus datur, quem baptizat pater, baptizat & filius, & quem filius baptizat, is in ſpiritu ſancto initiatur. Athanaſio ſubſcribit Chryſoſtomus ex æquo ab impio pióue ſacerdote ſacramẽta adminiſtrari probans. *Non poßunt quæ Deus ipſe perficit, velut ſacerdotali virtute perfici: omnia quippe diuinæ ſunt gratiæ: huius tantum munus eſt aperire os, cæterum Deus cuncta operatur: ſymbo-* *Chryſoſto. homil. 2. in 2. ad Tim.*

bolum iſte tantummodo implet. Intuere quantum inter Ioannem & Ieſum intereſt. Audi dicentem Ioannē, Ego opus habeo à te baptizari, et non ſum dignus ſoluere ipſius corrigiā calceamenti. Sed tamen quum tantum interſit, deſcendit ſpiritus, quem non habebat Ioannes: de plenitudine enim (inquit) ipſius omneis accepimus. Prius tamen quàm ille baptizaretur, non ille deſcendit neque Ioannes ipſum deſcendere fecit. Cur ergo iſtud fit? Vt ſcias ſacerdotem ſymbolum implere tantummodo. Nemo homo tantum diſtat ab homine, quantum à Chriſto Ioannes: Deſcendit tamen ſpiritus, vt diſcas Deum omnia operari, Deum omnia facere. Volo quiddā adiicere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini, quid verò iſtud eſt? ſacra ipſa oblatio ſiue illā Petrus, ſiue Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadē eſt quā dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamq; ſacerdotes modo cōficiūt: nihil habet iſta, quàm illa minus: Cur id? quia nō hanc ſanctificāt homines, ſed Chriſtus qui illā ante cōſecrauerat, quemadmodū enim verba quæ loquutus eſt Chriſtus eadē ſūt quæ ſacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt, eadémque baptiſmi ratio, adeo omnia in fide conſiſtunt. Ex Analogia ſacramentorum probat & in baptiſmo, & in cœna adminiſtranda ſacerdotem mi-

niſtrum duntaxat eſſe. Chriſtum verò noſtrum magnum ſacerdotẽ eſſe qui vtrumque ſacramentum perficit, & nobis exhibet. Eędem illius vtrobique ſunt partes, vt alio loco manifeſtius docet idem Chryſoſtomus. *Quoniam igitur verbum dicit hoc eſt, corpus meum (inquit) & pareamus, & credamus, & intellectualibus ipſum oculis intueamur, nihil enim ſenſibile Chriſtus nobis tradidit, ſed res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles: Itidem in baptiſmate per rem nempe ſenſibilem aquam, donum confertur: intelligibile verò quod perficitur, regeneratio & renouatio. ſi enim incorporeꝰ eſſes, nuda & incorporea dediſſet ipſa dona: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* Et paulò poſt. *Verum & tu laice, quum ſacerdotem videris offerentem, ne vt ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam. Sicut enim cum baptizaris, ipſe ſacerdos ſcilicet te non baptizat, ſed Deus eſt qui tuum caput inuiſibili potentia continet, & nec angelus, nec archangelus, nec vllus alius accedere & tangere audet. Ita nũc quoque quum* Deus *regenerat, ipſius eſt ſolius donum. Item, gratia Dei per indignos operatur, non propter ipſos, ſed propter eos quibus opitulandum eſt.* Eadem tradit

Homi. 60. ad pop. Antiochenum.

concionis, ſiue ſermonis (qui inter Cypriani opera numeratur) de baptiſmo habiti, & manifeſtatione Trinitatis ſcriptor, quiſquis is fuerit, apud quem hæc leguntur. *Verborum ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum, rem vero ipſam Chriſtus format, & efficit & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis author apponit, & plenitudinem gratiæ, vnctionis diuinæ pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat, ac perficit.* Et paulò poſt. *Quoniam ſiue Iudas, ſiue Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lauat, abſoluit, & delet.* Et

Optat. li. 2 Optatus Mileuitanus *non dotes miniſtri, ſed Trinitatem in ſacramentis operari ſcribit, cui cõcurrat credentium fides & profeſſio.* Item Paſ-

Paſchaſ. de corp. et ſan. Chriſti c. 42. chaſius, *quando in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti ter mergimur in fonte, tunc vtique baptizamur, non in virtute illius & poteſtate qui hæc dicit, ſed in virtute Chriſti qui hoc præcipit.* Hinc Græca eccleſia non eadem forma, qua Latini, baptiſmum adminiſtrat: neque enim Græci ſacerdotes ita aiunt: Tingo te in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti. ſed, Tingatur Chriſti ſeruus. nẽ-

pe Chriſtum qui infantem tingat, atque adeò ipſam triada indicantes, ſe verò aquæ hac verborum eſſe duntaxat adminiſtros. Et hac potiſſimum de cauſa nihil refert piuſne, an impius miniſter baptiſmum adminiſtret, nempe quod Chriſtus ipſe tingat, & miniſtro tanquam inſtrumento vtatur, vt docet Auguſtinus. *Porrò ſi inter bonos miniſtros, quum ſit alius alio melior, non eſt melior baptiſmus, qui per meliorem datur, nullo modo & malus eſt qui etiam per malum datur, quando idem baptiſmus datur, & ideo per miniſtros diſpares Dei munus æquale eſt, quia non illorum, ſed eius eſt.* Aug. li. 3 cont. Creſco c. 6. Hos permultos, prolixóſque ex ſcriptoribus eccleſiaſticis deſcriptos locos inſerui, non ſolum vt baptiſmo peccatorum remiſſionem, Chriſto ſacramentum adminiſtrante cõferri docerem, ſed etiam vt baptiſmum non ante collatæ, ſed eius quæ ipſa baptiſmi adminiſtratione confertur, gratiæ, ſignum eſſe conuincerem. Quem quum ita cum veteribus eccleſiæque conſenſu interpretetur, an vobis terreno elemento (vt loquimini) Chriſtianorum ſalutem, aut peccatorum remiſsionem attribuere videtur Belcarius? An deteſtabilẽ idolo-

latriam inuehit? Nihil minus, ſed baptiſmum efficacem ab inutili, & eo qui nihil prodeſt, diſcernit, vt iam olim diſcreuit Auguſtinus. *Baptizant quantum ad viſibile miniſterium & boni, & mali. Inuiſibiliter autem per eos baptizat, cuius eſt & viſibile baptiſma, & inuiſibilis gratia: tingere ergo poſſunt & boni, & mali: abluere autem conſcientiam, non niſi ille, qui ſemper eſt bonus.* Altero Chriſtus ſpiritu eius intrinſecus agente peccata abluit, huiuſmodi ſcilicet inſtrumento ad eccleſiam ſuam promouẽdam vtens, altero quod obex interponitur, nihil omnino proficitur: vt ſi quis ſimulata fide ad baptiſmum accedat, qui tamen ſi reſipiſcat, aut ad eccleſiam ſe conferat, de integro tingendus non eſt: quum enim reſipiſcere, aut ad eccleſiam ſe conferre, ſine Chriſti ſpiritu afflante nemo poſſit, quoties ſpiritus, qui baptiſmi velut anima eſt, mortuo illi baptiſmo accedit, vim viuificam adhibet, & eundem reddit efficacem. Siquidem initio integer baptiſmus oblatus eſt: nam & miniſter abluit, & Chriſtus gratiam obtulit, ſed ſua malignitate effecit tingendus, ne integrum reciperet, quum ea maligna affectio po-

Aug. lib. 2 cont. Creſco. c. 21.

nitur, tum quod obſtabat, abiicitur, & integer baptiſmus recipitur, vt iteratione opus non ſit. Neque vero ab hac doctrina Caluiniani abhorrent. Beza enim vbi & in baptiſmo, & in cœna nos Chriſtum fide percipere ſcripſit, mox addit, nonnunquam ita percipi, vt nō ſimul fructus & vtilitas eodem tempore ad nos perueniat, vel propter incogitantiam, vel propter fidei tarditatem. Ac ſic baptiſmus, ſi in genere accipias, nec ab efficaci diſcernas, non ſolum gratiæ, quæ ipſa tinctione cōfertur, ſignum eſt, ſed etiam nonnunquam eius quæ mox conferetur, quamuis gratia ipſa ſemper offeratur, vt ex noſtrorum doctrina gratiam ſacramentis. i. ſacramentorum adminiſtrationi addici impudenter Caluiniani mentiantur. Sic illi ab indignis ſumi quidem ſacramentum, non tamen ſacramenti fructum fatentur. Idem de baptiſmo in hæreticorū eccleſiis adminiſtrato iudiciū eſt, quandoquidem & aquam adhibet miniſter, & paratam, præſentémque gratiam in promptu habet Chriſtus, ſed eandē extra eccleſiam ſuam conferre non poteſt. *Nam vt (ait Paulus) ſine fide Deo acceptus eſſe*

nemo poteſt. Quum ad eccleſiam acceditur, tum obex ille aufertur, & integer baptiſmus recipitur. En habetis cuius baptiſmi proprium ſit, peccata abluere: nempe efficacis, ſiue viuifici, quo Chriſtus ipſe tingit & nos abluit, ac ſpiritu ſuo renouat. Alterius quod ad ſalutem per ſe non conferat, ſed veluti mortuus, ſi ita mihi loqui permittam, hoc eſt, nulla vi præditus iaceat, non meminit Belcarius. Quod ſi quis hæc planius explicari flagitat, cauſam peccatorum remiſſionis, quemadmodum & renouationis, efficientem Deum eſſe intelligat: Deum (inquam) patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, in quorum nomen tinguntur fideles in remiſſionem peccatorum. Sic enim ſcribit Petrus, *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam, regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam & im-*
1. Iorn. 6. *marceſſibilem, conſeruatam in cœlis, in vobis qui virtute Dei cuſtodimini, per fidem in ſalutem paratam reuelari tempore nouiſſimo*. Item Ioãnes. *Scimus quod filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in*

vero filio eius. Et Paulus. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Videtis regenerationis cau ſam quemadmodum & peccatorum remiſſionis, ex æquo patri & filio & ſpiritui ſancto attribui? Cauſa mouens eſt Dei miſericordia, vt docet Paulus. *Quum autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Cauſa inſtrumentalis (vt vocant) in infantulis, baptiſmus, ſiquidem exteriorem duntaxat baptiſmi actionem reſpicimus: nam interiorẽ iam in cauſa efficiente expoſuimus. In adultis fides, baptiſmus, atque pœnitentia, quæ ſi deeſt, nihil illis baptiſmus prodeſt, vnde & ſacramentum Pœnitentiæ dicitur: qui enim ad Deum non cõuertitur, oblatam gratiam reiicit, & iure vt indignus reiicitur. Tametſi fidem & pœnitentiam cauſas diſpoſitiuas vocare ſcholaſtici theo-

1. Cor.

ad Tit. 3.

logi ſolent. Hinc *Paulus annuntiabat Iudæis & gentibus vt pœnitentiam agerent, & conuer-* *Act.3.* *terentur ad* Deum, *digna pœnitentia opera faciẽtes.* Et alio loco. *Pœnitemini, & conuertimini vt deleantur peccata veſtra.* Item: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in nomen* Domini *Ieſu, in remiſsionem peccatorum veſtrorum, & recipietis donum ſpiritus ſancti.* Et verò baptiſmo peccata ablui in eum ſenſum à noſtris dici probè noſtis, ſed ne nihil dixiſſe videamini, diſſimulatis, & quod ſyncerè, veréque à nobis dicitur, in alium ſenſum malignè rapitis, & iſtis verborum faſcinis veſtris auditoribus imponitis. Hæc qui tenet, veſtris cauillis reſpondere facilè poteſt. *Sacramenta* *pag.16.in fine.* *non poſſe conferre gratiam aſſeritis: quod iis vim ſuam nõ infuderit, aut addixerit ſpiritus ſanctus.* Si exteriorem actionem duntaxat intelligitis, quis negat? Sed ſi ita baptiſmum interpretamini, re terrena quidem baptiſmus conſtaret, cœleſte vero nihil complecteretur: ſolius aquæ, non ſpiritus miniſterium eſſet. Nam quum ſanctificatos ante baptiſmum infantulos, & maioribus natu peccata remiſſa, baptiſmúmque huius ſanctificationis, vel remiſſionis obſignationem

gnationem duntaxat eſſe aſſeritis, baptiſmum nimirum aqua ſola madidum, ſpiritu vacuum nobis relinquitis: baptiſmũ neſcio quem mortuum (vt ita dicam) deſcribitis, non ſecus ac fidem ſine operibus Iacobus mortuam pronuntiauit. Spiritus enim potior baptiſmi pars, & quaſi anima eſt. Sin hanc potiorem baptiſmi partem etiam baptiſmo ineſſe fatemini (vt veſter Caluinus aliquando fateri videtur) baptiſmo peccata propriè, & verè ablui profitemur, & vos manifeſti mendacij arguimus. Nam ſacramenta nunquam à ſubſtantia ſua & veritate ſeparari Caluinus docet, vt etiam Belcarius annotauit. Docet (inquam) *veram eſſe repreſentationem, quam adhibet Deus in cœna, ſubſtantiámque interiorem ſacramenti viſibilibus ſignis coniunctam eſſe, & quemadmodum panis in manum diſtribuitur, ita corpus Chriſti, vt eius participes ſimus, nobis communicari: quinetiam ſacramenta non ſolum ad rerum cœleſtium ſignificationem, ſed etiam ad communicationem eſſe inſtituta*, Beza ſcribit: & in his verbis, hoc eſt corpus meum, corpus illud eſſentiale (vt ille loquitur) quod pependit in cruce, intelligit. Idem ſacramentum ſimplex ſi-

Iacob. 2. in fine.

Cal. de cœna

Beza dial. 1. de re ſacr. pag. 41. 45. 51.

gnum non eſſe tradit, ſed tale vt præter ſymbola, quæ in externos ſenſus incurrunt, verè etiam à Deo detur, & à fidelibus percipiatur res ipſa, quam externa illa ſymbola nobis vna cum Dei verbo teſtificantur. Quod hæc bella Apologia in hæc verba repetit. *Neque amplius à Belcario, ſuíque ſimilibus ſigna nuda, aut vana poterunt vocari, ſigna inquam diuina, cum quibus non tantum peccatorum remiſſio, regeneratio, communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, omneis denique theſauri cœleſtes, ſed eorum etiam augmentatio à Deo vero, & omnipotente nobis offertur, quin in æternam* Dei *veritatem & potentiam ſint blaſphemi.* Quod ſi ſacramenta non nuda ſigna eſſe putant, ſed diuina, & cum quibus non tantum peccatorum remiſſio, regeneratio, communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, omnes denique theſauri cœleſtes, ſed eorum etiam augmentatio à Deo vero & omnipotente nobis offertur, nónne in baptiſmo quoque aut cum baptiſmo peccatorum remiſſionẽ, ac regenerationem à Deo offerri, ac nobis dari, nónne baptiſmo gratiam conferri fatentur? Vt quemadmodum corpus aqua ablui vi-

demus, ita animam etiam ſpiritus ſancti vi interiore purgari intelligamus? Nónne (inquam) eadem opera fatentur Christum ipſum ſpiritu ſuo tingere, eum autem qui baptiſmum adminiſtrat, Christi eſſe miniſtrum? Hinc quoque quod tertio, quartóque loco additum eſt, facile refellitur. *Baptiſmum aiunt non eſſe primum* pag. 19
ſalutis limen, vt Belcarius cum ſuis gregalibus falſo autumat, ſed gratiæ primum, ac deinde verbo ſubſtitui, ac ſubiungi: cui tanquam appendix, & ſigillum ad maiorem gratiæ promiſſæ confirmationem additur. Baptiſmum primum ſalutis limen non vocauit Belcarius, ſed aditum in eccleſiam, verum enimuerò ad rem ipſam collimemus. Si baptiſmum diuidunt, dimidiatúmque (vt ita dicam) & quod in eo terrenum eſt dũtaxat proferunt, aliquid dicunt. Sin integrum intelligunt, nec potiorem partem (rem cœleſtem vt dixi, vocat Irenæus) omittunt, in meridiana nimirum luce cœcutiunt. ead. pag. 19
Adhæc errorem errori annectunt, dum nullis aliis ſigna à Deo offerri ſcribunt, quam quibus gratia per verbum fuerat oblata: ideóque nullis aliis communicanda ſacramenta, quàm quos aut

ex propria ipſorum confeßione, aut ex formula fœderis conſtabit nobis iam gratiæ eſſe participes. id enim falſiſſimum eſſe docuit Belcarius, & mox obiter attingetur. Quos autem Belcarij gregales appellent, neſcio. Certè id diſertè ſcribit Auguſtinus. *Proinde (inquit) paruuli ſi per ſacramentum, quod diuinitus inſtitutum eſt, in credentium numerum non tranſeunt, profectò in his tenebris remanebunt: quamuis eos nonnulli mox natos illuminari credant, &c.* Et paulo poſt. *Hoc enim eis non niſi per baptiſmum præſtari etiam qui hoc ſentiunt, confitentur.* Citatus eſt à Belcario in eandem ſententiam & ſcopum Tertullianus, qui eum qui vrgente neceſſitate baptiſmum non adminiſtrauit, reum perditi hominis eſſe ſcribit. Et poſt Tertullianum Cyprianus, qui infantes quoquo tempore tingi vult, vti nulla anima perdatur. Citati item plærique alij de repub. Chriſtiana benè meriti, quos ſi Belcarij gregales appellatis, nimium illi tribuitis, nec is tantum ſibi arrogat: gregalis certe illorum (vt veſtris verbis vtar) Belcarius eſſe cupit. Quod ſentẽtiam veſtram primæ, apoſtolicæque eccleſiæ exemplo confirmare conamini, in qua ſolos fide-

Aug lib. 1 de pecc. mer. & remiſ. c. 25.

pag. 20.

lium infantes, & præterea catechumenos.i.qui teſtati fuiſſent, ſe fide promiſsã in Chriſto gratiã amplecti, baptiſmo initiatos dicitis,id falſo ſumitis. Etenim fidelium, hæreticorúmque infantes plærunque tinctos fuiſſe multis locis docet Auguſtinus,& Belcarius in libelli ſui recognitione copioſè explicauit: quem locũ ne ſæpius idem repetatur, omittendum cenſeo. Quum tamen baptiſmum primũ ſalutis limen (vt ſcribitis) aut aditum in Chriſti eccleſiã vocat Belcarius, viã intelligit ordinariã(vt loquuntur)qua Chriſtiani in Chriſti eccleſiã recipiuntur: nõ negat interim alias ſupereſſe vias, vt ſe longè, latéque Dei omnipotentia diffundit. Sic Bethleemitanos infantes ab Herode cæſos in prima eccleſia martyrum loco habitos fuiſſe legimus. Et de adultis plura exempla propoſuit Belcarius, vt veſtris calumniis locus eſſe non poſſit. Eadẽ qua nuper vſus ſum ad Auguſtini locum ex Epiſtola ad Bonifacium ſcripta prolatum reſponſio eſt. quo loco ſcribit Auguſtinus ſacramenta rerum quas ſignificant, nomina accipere: Hunc autem etiã Heſhuſio Caluinus obiecit: ſed ſacramẽ-

Aug. epiſt. 23.

Cal. aduerſ. Heshuſium pag. 67.

ta duobus modis conſiderari docemus: aut enim vt ſigna conſiderantur, & tum exterior actio, ſiue adminiſtratio maximè ſpectatur, ac ſic accepta ſacramenta rerũ ſignificatarum nomine figuratè appellantur: aut conſiderantur ſacramenta non ſolũ vt ſigna, ſed vt res ſignificatas, & quarum ſigna ſunt comprehendunt: vti ſacramenta vulgo finire ſolent, *nempe ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ, quæ per ea confertur, modo rite, nec indignè tractentur, & accipiantur:* Et ſic accepta ſacramenta rerum ſignificatarũ nonine iam non figuratè, ſed propriè & verè appellantur. Hæc enim potior pars eſt: à qua recte nomen ſortiuntur. Quemadmodum baptiſmus lauacrũ regenerationis dicitur: Hic ſi diuerſos ſuos reſpectus accommodarent magni dialectici Caluiniani variámque eiuſdẽ dictionis, vel ſignificationem, vel relationem expenderent, in loco tam plano, atque aperto non hæſitarent. *Quoties (inquiunt) ſcriptura, & patres vocant baptiſmum remiſſionem peccatorum, & lauacrum regenerationis, cœnæ panem, corpus Domini, eius participationem, communicationem corporis Chriſti, ſacramentalem loquutionem eſſe conſtat. i. modum loquendi vſitatum in ſacramentis, quo, ſigno rei*

Beza dial. 1. de re ſacr. pag. 66.

ſignatæ nomen tribuitur, ne nuda, ac vana ſigna offerri putemus. At vos qui ſcripturam vbiq; à nobis exigitis, qui extra Dei verbum ne tantillum quidẽ vos ſapere iactatis, nunc ſublimem proferte ſapiẽtiam, & docete qua ſcriptura ſacramẽtales eſſe huiuſmodi loquutiones probetis: quum nullam ſcripturã proferre poſſitis, nónne & vobis ipſi contradicitis, & vos manifeſti mendacij conuictos agnoſcitis? *Adhæc cũ ſacramentum nõ ſit ſimplex ſignum (vt traditis) ſed tale, vt præter ſymbola, quæ in externos ſenſus incurrunt, verè etiam à* Deo *detur, & à fidelibus percipiatur res ipſa, quam externa illa ſymbola nobis vnà cum* Dei *verbo teſtificantur.* Nónne ſacramentum non ſolum ſignum eſt, ſed & rem ſignificatam comprehendit? Si ſacramentum non ſolum ſignum eſt, ſed & rem ſignificatam comprehendit, & ita cõprehendit, vt à Deo detur, & à fidelib⁹ percipiatur res ipſa, quã externa illa ſymbola nobis vnà cũ Dei verbo teſtificãtur, nónne baptiſmus, nõ ſolũ peccatorũ remiſſionis & regenerationis ſignũ eſt, ſed & baptiſmo peccatorũ remiſſio, & regeneratio cõfertur: vt veſtrũ axioma baptiſmo accõmodemus, ideóq; baptiſmus verè laua

Beza dial. 1 de re ſacra. pag. 51.

crũ regenerationis appellatur?Neq; verò vt falſo ſcribitis,aut potius vt ante vos ſcripſit Caluinus,ſigno rei ſignatæ nomẽ tribuitur: ſed quod partis eſt,toti tribuitur: in quẽ ſenſum baptiſmus aliquãdo ſignũ dicitur, aliquãdo lauacrũ regenerationis appellatur: quæ figurata ioquutio eſt, & qua vti eccleſiaſtici ſcriptores ſæpenumero ſolẽt. Baptiſmus enim,& ſignũ remiſſionis peccatorũ ac regenerationis eſt,& peccatorũ remiſſionẽ, ac regenerationẽ confert: ſiquidẽ eſt viſile ſignum inuiſilis gratiæ quæ per eũ confertur,quæ cõmunis eccleſiaſticorũ ſacramentorũ (vt iam dixi)finitio eſt: vt mirũ non ſit, ſi nonnũquã à potiore parte nomẽ ſortiatur: quẽadmodũ ab illa altera, (& ſi lõge inferior eſt)ſignũ tamẽ nõnunquã appellatur.Sic hominẽ mortalẽ & intelligentẽ dicimus: quãuis mortalitas ſoli corpori,intelligere ipſũ ſiue intellectio ſoli animæ cõueniat, atq; tribuatur. quod enim propriè partis eſt,toti tribuimus.nónne illi ipſi ſacramẽtũ re terrena, cœleſtiq; cõſtare cõfitẽtur? Cur igitur id terrenæ dũtaxat addicere, cœleſti priuare cõtendũt? Addũt nõ *alias, aut excellentiores gratias in ſacramentis, ſed eaſdẽ*

Cal.aduerſ. Heshuſium pag.67.

Bezæ adue. Mat. Flac. Illyricũ de ſacra. corp. & ſang. cũ ſymbolis cõiunct.ad 4. demonſt.

pag.21.

planè,quæ in verbo fuerũt promiſſæ & oblatæ ad maiorẽ fidei noſtræ confirmationẽ, per ſacramẽta denuò offerri. Qui locus in Bezę dialogis de re ſacramẽtaria copioſius tractatur. Atqui Chriſti corp⁹ eſſentiale quod pepẽdit in cruce (vt Beza loquitur) nemo ſanus nudo Dei verbo, nemo baptiſmo nobis cõmunicari dixerit, aut ſi ex æquo tribus illis communicatur, vt Beza eodem loco aſtruit, quomodo ratiocinationi illi Belcarij reſpondent? qua ſic agebat: Si ex æquo corpus Chriſti in baptiſmo, & cœna nobis communicatur, quî fit vt infantes ad baptiſmum Caluiniani admittant, ad cœnam non admittant? Nam Caluinianas rationes, quibus diuerſitatem diſcernere conatur, vanas, futileſque eſſe liquido conſtat: infantes ſcilicet, non eſſe ferendo ſolido cibo: ſi enim ſolidus eſt, id ex ſe, non ex diuerſa communicandi ratione habet. Itaque non ſecus in baptiſmo quam in cœna ſolidus eſſet: nec magis illic, quàm hic infantes eſſent ferendo ſolido cibo: quo fit vt infantes vel ad vtrumque ſacramentum admitti, vel ab vtroque excludi iure debeant. Si Caluinianis rationibus adhærere volumus, quibus

Beza dialo. 1. de re ſacr. pag. 41.

Cal. inſt. li 4. c. 16 ſe. 3.

ſeſe imprudens manifeſtè iugulat. Quod ſubiiciunt neminem ad cœnam admitti qui ſeſe probare nequeat, idcircóque infantes à cœna arceri, eiuſdem inſcitię eſt. Si enim in baptiſmo & cœna idem cibus eſt, quomodo vtrobiq; infantes ſeſe probare non iubentur, aut ſi non poſſunt, quomodo ex æquo ab vtroque ſacramẽto non arcentur? Quod ſub huius calũniæ finem, quaſi vice epilogi annectitur, eiuſdem impudẽtiæ eſt, & parem calum-
pag. 23. niam coniunctam habet, *Belcarium falli, quod localem concomitantiam, ſeu incluſionem gratiæ ſpiritualis cum ſigno terreno ſibi imaginatur, vt qui ſignum externum accipit, idem quoque ſimul gratiam ſpiritualem accipiat, vt cumque nulla ſit fide prœditus.* Quis enim ex noſtris baptiſmum, aut Domini cœnam ſine fide, aut ab indignis receptam, gratiam conferre dixit? ac non potius apertam perniciem, ſempiternumque ſupplicium
Marc. vlt. afferre aſſeuerauit? in quam ſententiam
1. Cor. 11. illud vulgò proferri ſolet. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* & illud: *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

Quinta Calumnia.

NOS *ne minimis quidem dialecticæ rudimentis initiatos (inquiunt) ſcribit Belcarius contraria ac pugnantia ſimul in eodem ſubiecto conſtituere, gratiam ſcilicet, atque peccatum, puritatem & impuritatem. Magnus dialecticus & ſummus rhetor, non meminit definitionis oppoſitorum, vt ab Ariſtotele ponitur. Oppoſita nimirum eſſe, quæ de eodem, ſecundum idem, & ad idem & eodem modo, & eodem tempore dici & affirmari non poßint. Niſi talpa cœcior es Belcari, facile intelligis, contradictionem hic nullam eſſe, quod non eodem modo purum & impurum, in peccatis conceptum & à conceptione ſanctum dicimus: Aliter enim in peccatis conceptum, nimirum quoad naturam, & carnalem generationem, qua omnes naſcimur filij iræ: aliter à conceptione ſanctum, nimirum quoad gratiam, & natiuam Chriſti ſanctitatem imputatam, eundem hominem fatemur & agnoſcimus.* Hactenus apologia. Præclaram dialecticam, & acutos elenchos expendere operæ-pretium eſt. Infantes in matrum vteris puros & impuros eodem tempore magni dialectici aſſerunt: ſed diuerſa ratione aut diuerſo reſpectu (vt loquuntur): puros quod

ead. pag. 23.

Eleuc. lib. 1. c. 4.

attinet ad gratiam,& natiuam Chriſti ſan ctitatem illis attributam: impuros quod ad naturam & carnalem generationem. Hanc diſtinctionem ita euertebat Belcarius: Peccatum, quoquo referas,quando alicui ineſt,ſemper inter Deum & hominem ſeparatio eſt,vt ex Eſaia,Auguſtinóque docet Caluinus,rationem adiiciens, *quod alienum ſit à Dei iuſtitia quicquam commercij habere cum peccato*. Quandiu igitur alicui peccatum ineſt, tandiu eidem Dei iuſtitia gratiam ſuam communicare non poteſt,quoquo eam gratiam referas:alioqui peccatum non ſemper inter Deum & hominem ſeparatio eſſet: itaque ſi infanti in matris vtero adhuc concluſo,etiã ex ipſa cõceptione ineſt peccatum originis, eidem eodẽ tempore Dei gratia, aut ſanctitas eius effectus ineſſe non poteſt: aut ſi quis Caluini verbis idem explicare malit, ita aduerſus Caluinianos ratiocina bitur. Infantes ex conceptu, ſiue à conceptione vſque ſanctificari dicitis, & eodem tempore peccato originis eſſe inqui natos. Atqui Deus (vt ſcribit Caluinus) neminem ſibi adiungit, neminem in con iunctionem recipit,neminem ſanctificat,

Eſa.59.
Aug.lib.1. aduerſ. Pel. c.20.
Cal.inſt.l.3. c.11.ſe.21.

neminem recipit in gratiam, neminem iuſtificat, quin ex peccatore iuſtum faciat, quod alienũ ſit ab eius iuſtitia quicquam commercij habere cum peccato. Si igitur infantem aliquem ex conceptu in gratiam recipit Deus, & amplectitur, hoc eſt, ſanctificat, eundem eodem tempore iuſtificat. Hæc ſimpliciter & abſolutè pronuntiat Caluinus, nec diuerſos ſuorum reſpectus agnoſcit. Iuſtificari autem, vt idem etiam docet, aliter nemo dicitur, niſi quod abſterſis peccatorum remiſſione maculis, purificatur, vt talis iuſtitia vno verbo appellari queat peccatorum remiſſio. Quum itaque accedit ſanctificatio, ſiue ſanctitas, peccatum originis cedere, atque euaneſcere neceſſe eſt: aut ſi infanti in matris vtero adhuc concluſo inhæret, non ita inhæret, aut ineſt, vt peccati rationem obtineat: nempe vt infantem filium iræ reddat, vt tradit & loquitur Paulus. Infans enim ex Caluinianorum doctrina, iam à conceptione, quum ſit ſanctificatus, filius gratiæ eſt. Filium autem gratię ſimul, & irę eſſe non poſſe, ex Caluino ſupra docuimus, etiãſi mille diuerſos reſpectus Caluiniani ſom-

nient. Nam quem ſanctificat Deus, eundem recipit in gratiam: quem recepit in gratiam, eundem eodem tempore odiſſe non poteſt: quem porrò non odit, eidem non iraſcitur, vt filius iræ is dici non poſſit: neminem autem niſi propter peccatum, odit, Deus, nemini iraſcitur. Quemadmodum itaque eundem hominem ſimul & odiſſe, & in gratiam recipere non poteſt Deus (quem enim odit, totũ odit: quem in gratiam recipit, totum recipit, totum acceptum habet. Et duobus Do-
Matth.6.c. minis ſeruire nemo poteſt, Deo (inquã) & mammonæ, nec Domini duo eiuſdem hominis eſſe poſſunt, qui in illum ſolidum, aut merum, imperium habeant) ſic idem homo & in gratia ſimul, & peccato eſſe non poteſt, vt vulgo loquuntur. Adhæc quum à conceptione vſque peccatum originis infantem filium iræ nõ reddat, eſt enim vi fœderis ſanctificatus, vt tradunt Caluiniani, ideóque peccati rationem non obtineat, vt peccatum originis, nunquam peccati propriè ſumpti rationem obtineat, conſentaneum eſt: ſolum igitur peccati originis nomen ex Caluinianorum doctrina relinquitur, res

ipſa prorſus aboletur. Hic ſi ad diuerſos ſuos reſpectus confugient Caluiniani, aut peccatorum remiſſionem non imputationem (vt ita dicam) interpretabuntur, non quod ſemper non maneat peccatum, eadem reſponſio eſt: peccatum ſcilicet quoquò id referas, non manere (vt ſupra dixi) ſub ratione peccati, qua vel mortem pariat, vel peccantem filium iræ reddat, vt cum Paulò ita loquamur. Præteribo etiam hic quod ex multis Auguſtini locis probari poteſt: quorum nonnullos citauit Belcarius, peccatum non imputare, Deo nihil aliud eſſe, quam peccatum remittere. Iſtos inſuper interrogabo (quod id ne extremis quidem digitis attingere voluerunt, quum tamen ipſos maximè vrgeat) ſi peccatum in ſanctificatis adhuc reſidet, quomodo Chriſti gratia magis, quam Adami peccatum exuberet? verè enim & reipſa (vt ſcribit Belcarius) iſtud infantes inficit, verè illa non purgat. Quî enim verè purgat, ſi reipſa peccatum adhuc manet? Sed hunc locum iam fuſè ſatis in ſecundæ Calumniæ explicatione perſequuti ſumus. Redeamus ad priorem rationem, & diuerſos Calui-

nianorum reſpectus expendamus: *Si quo*
Pag. 24. *ad naturam purum ſimul & impurum diceremus (inquiunt) aut ex diuerſo quoad gratiam merito nos reprehenderes ſtupiditatis.* Vt locus iſte diligenter excutiatur, quid gratiam, quid item peccatum conſequatur, accuratè perquirendum eſt, & quæ breuiter à Belcario percurſa ſunt, latius explicanda: ac tum demum quomodo hęc in eodem infante, aut eorum affectus coïre poſſint, facilè intelligemus. Gratia itaque, ſanctitas, vita, ſalus, ſeſe ſemper comitantur, tanquã antecedentes cauſás neceſſariò conſequentes effectus: aut ſeſe inferunt, tanquam cauſas effectus neceſſariò indicantes. E diuerſo, peccatum, impuritas, mors damnatio, ſeſe mutuo etiam neceſſariò conſequuntur, perinde atque illæ, aut inferunt. Vbi enim gratia, ibidem & ſanctitas, vita, ſalus: & vbi ſalus, ibidem vita, ſanctitas, gratia. Contra, vbi peccatum, ibi impuritas, mors, damnatio: & vbi damnatio; ibidem mors, impuritas, peccatum. Contemplemur igitur duos mortalium omnium fines, ad quorum alterutrum, vnumquemque peruenire neceſſe eſt. Salutem (inquam) & damnationẽ, cœlum & gehen-

& gehennam:& ad iſtos duos fines antecedentes cauſas referamus. Si infantem in matris vtero recens conceptum amplectitur Dei gratia, eidem neceſſario præſto eſt ſanctitas, vita, ſalus, quandiu illi gratia inerit: & quandiu harum aliqua inerit, cæteras inferet, vt ſi tum moriatur infans, ſalute omnino perfruatur. At contra peccatum, impuritas, mors, damnatio eidem infanti, eodem tempore, etiam ſi aliò aliud referas, ineſſe non poſſunt, alioqui ſi tum moreretur infans, gehēnæ addiceretur. Eodem autem tempore gehennę addictus, & ſaluus eſſe non poteſt. Sic vitam & mortem ita inter ſe opponi ſcribit Auguſtinus, & Belcarius annotauit, vt ſi altera alicui inſit, alteram abeſſe, ſi altera abſit, alteram ineſſe ſit neceſſe. Neque ad diuerſos ſuos reſpectus confugiant Caluiniani: Nam iſtud ſimpliciter enuntiauit Auguſtinus, & veritas ita habet, vt nunquam eidem homini ſpiritalis illa vita, & æterna mors, damnatio, & ſalus, quoquo vtraſuis referas eodem tempore ineſſe poſſint, etiam ſi mille diuerſos reſpectus Caluiniani comminiſcātur. Hæ quippe ita homini inſunt, vt totum

Aug. l. 2. contra 2. pelag. epiſt. c. 4.

illum occupent, nec oppoſitis ſuis, aut priuantibus vllum locum relinquant, nec diuerſos Caluinianorum reſpectus recipiant: Quemadmodum idem corpus viuum ſimul & mortuum eſſe non poteſt, quoquò vel vitam, vel mortem referas. De diuite, & paupere ſpiritu, quo exem-
Mat.5.a. plo vtuntur Caluiniani, vt Belcarium ſug gillent, longè alia ratio eſt: quæ affectiones ſunt priuatæ, aut particulares (vt ita loquar) & ſimul abeſſe, aut diuerſo modo acceptæ, aut aliò atque aliò relatæ eidem homini eodem tempore ineſſe poſſunt. Quemadmodum homo mediocri fortuna, ſi Crœſo conferatur, pauper, idem ſi mendico comparetur, diues dici poteſt. Quid? quod Caluiniani corpus Chriſti duobus locis eodem tempore conſiſtere poſſe negant: quod huiuſmodi enuntiatum ſimul κατάφασιν, καὶ ἀπόφασιν, hoc eſt affirmationem & negationem complecteretur, vel (vt illi loquuntur) contradictionem implicaret, nempe eſſe, & non eſſe: quod inter ea numerant, quæ nec Deus ipſe, quamuis omnipotens, poteſt. Atqui infantem eundem eodem temporis momento peccato originis infici, & ſanctifi-

catum,aut ſanctum eſſe, cõtradictionem implicat, hoc eſt duo enunciata ſeſe inuicem perimentia continet, nempe peccato originis infici, & non infici, ſanctum eſſe, & non eſſe ſanctum: ex conceptu igitur idem infans ſimul & peccato originis infectus, & Caluiniana ſanctificatione præditus eſſe non poteſt. Idem de cauſis antecedentibus, gratia (inquam) & peccato, puritate & impuritate, quod de effectibus, vita ſcilicet & morte, ſalute & damnatione iudicium eſt. Si igitur in matris Chriſtianæ vtero ſanctificatus eſt, & tum moriatur infans, in Dei gratiam eſt receptus, ſanctitatem habet, vita & ſalute perfruitur, ſed eodem tempore peccato originis, aut vlla impuritate inquinari, morte, aut damnatione mulctari non poteſt. Hæc enim quatuor neceſſario ſeſe conſequũtur, & nunquam cum illis quatuor prioribus, quoquò vtrauis referas, eodem tempore coïre poſſunt. Addunt Caluiniani. *Quî fit vt cum meros crepes doctores Belcari, tum veteres, tum neotericos Caluinianos, non legeris vulgare illud ex Auguſtino, Remitti peccatum in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur.* Et alterum illud. *Peccatum* *ead pag. 24* *Aug. l. 1. de nupt. & cõc. c. 23. ſerm. 6. de verb apo.*

quantum ad ſanctos attinet, regnum amittere in terra, ſed perire in cœlo. Animaduerte quæſo pie lector, vti falſarij iſti vtrumque Augustini locum peruertant: quod enim ille de concupiſcentia pronuntiauit, hi de peccato ſimpliciter dictum aſſerunt, & Auguſtini verba immutant, ſententiamque corrumpunt. Sic autem in Auguſtini codicibus legitur prior locus: *Adhæc reſpõdetur dimitti carnis concupiſcentiam in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur.* At concupiſcentiam non accedente conſenſu non eſſe peccatum tum ex Auguſtino, tum ex aliis tam perſpicuè probauit Belcarius, vt idem ſæpius inculcare nimis ſuperuacuum ſit. Cur igitur peccatum loco concupiſcentiæ ſupponitis, & Auguſtinum corrumpitis, quum concupiſcentia niſi conſenſus accedat, peccatum reuera nec ſit, nec peccatum, niſi impropriè appelletur? quod ſcilicet ex illa peccata oriantur, non quod ſit ipſa peccatum. Eodem refertur poſterior locus, quem vt planius intelligatur, integrum inſeram. *Iam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum (inquit Apoſtolus)* Aug.d.c.23. *quia non mente operabatur conſentiendo, ſed car-*

ne concupiſcendo. Hoc enim peccati nomine appellat vnde oriuntur cuncta peccata.i. ex carnali concupiſcentia. Quicquid enim eſt peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur, niſi ex mala cupiditate, non exoriuntur, niſi ex illicita delectatione. Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtimus, ſi non conſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mortali corpore: peccatum enim ante regnum perdidit, & ſic periit. In hac ergo vita, quantum ad ſanctos attinet, regnum perdit, in alia perit. Quid autem aliud hic intelligit Auguſtinus quam concupiſcentiam? Hæc in Paulo, & ſanctis omnibus, quoad extremum exhalarunt ſpiritum, reſedit: quis negat? Sed peccatum fuiſſe, niſi conſenſus acceſſit, pernegamus, imò verò Auguſtinus ipſe pernegat. Itaque in ſanctis concupiſcentia regnum perdit, hoc eſt ſanctis non imperat, quanquam ſanctos quotidie exagitat, & ſuis pungit aculeis: ſed illi victores humilem deiiciunt, ac ſibi ſubiiciunt. Quòd ſi aliquando præ virium humanarum imbecillitate ſuccumbunt, at ſtatim ad ſe redeunt, aut potius ad Deum conuertuntur, & dominæ petu-

lantis iugum excutiunt, vt in ipſis regnum ſuum ſtabilire non poſſit. idcircóque regnum perdere dicatur. Hinc ſanctos id eſt fideles hortatur Paulus (vt vos etiam ſcribitis) non vt non habitet in ipſorum corpore peccatum, id eſt, concupiſcentia, ſed ne regnet, id eſt, ne illis imperet. Imperare autem non poteſt niſi volentibus, & conſentientibus: ſi conſenſus deeſt, peccatum nec eſſe, nec dici verè poteſt. Itaque tum peccatum duntaxat dicitur quum regnat, non quum in corpore noſtro reſidet: *Vbi vero corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem*, tum prorſus iacebit, imò verò eſſe deſinet, atque omnino peribit, tum verè illud canetur: *Abſorpta eſt mors in victoria, vbi eſt mors victoria tua? vbi ſtimulus?* Venialium & mortalium peccatorum, (vt vulgò appellantur) diſtinctionem non excogitauit Belcarius, ſed ex Auguſtino, & aliis probauit. *Vanam (inquiunt) eſſe hanc diſtinctionem inde apparet, quod Galatas, & Corinthios, etiamſi non leuibus, ſed grauiſſimis peccatis impliciti eſſent, ſanctos tamen vocet Paulus*. Parum in Paulo, & antiquis ſcripto-

Rom. 6.

1. Cor. 15. b.

Pag. 26. in principio.

ribus eccleſiaſticis legendis profeciſtis, boni miniſtri, ſi ſanctos plærumque pro fidelibus accipi non intellexiſtis, & id abundè Belçarius docuit: fideles autem grauiſſimis nonnunquam peccatis inquinari nemo negat, nec tamen ob id quod grauiſſimè aliquando peccent, fideles eſſe deſinunt: At ſancti, id eſt, puri quando peccant, eſſe deſinunt. Vos igitur ambigua dictionis ſignificatione decipi perſpicuum eſt. *Quæ de concupiſcentia & iuſtitia imputata miſcet hic rhetor, indigna ſunt confutatione (inquiunt) præſertim quum cauillationibus omnibus Romanenſium abundè à doctiſſimis viris reſponſum ſit: Et quæ profert Belcarius, non tantum à ſenſu communi & bonorum omnium iudicio ſunt aliena, ſed ex diametro pugnant cum Dei verbo.* Digna tantis Theologis aduerſus omneis omnium aduerſariorum rationes ſolutio: quæ illis vice loci communis eſt, quo toties vtantur, quoties maximè vrgentur, vt iam admonui. Tum enim aut ab aliis reſponſum, aut quæ obiiciuntur, confutatione indigna eſſe prædicant. Atqui quæ de concupiſcentia ſcripſit Belcarius fere ex Auguſtino deſcripſit. Vellem au- Pag. 26.

tem, vt etiam quæ de iuſtitia imputata is addidit, vno aut altero ſyllogiſmo oppugnaſſent: docuiſſent præterea, Si Adamus peccato originis nos reipſa inficit. Chriſtus autem reipſa nõ purgat, ſed hęret ſemper immobile peccatum, quonam pacto Chriſti gratia magis quam Adami peccatum exuberet vt vult Paulus. Nam ſi vobis creditur, Adami peccatum reipſa ita inficit, vt idipſum Chriſti gratia reipſa eluere non poſſit: potentius igitur illud, hæc imbecillior, atque infirmior: quẽ locũ non ita pridẽ attigimus. Sed ad ea quæ cõſequuntur trãſeamus. *Quis ſani*
Ead.pa.26 *iudicij homo (inquiũt) negauit vnquam manere in homine regenerato mali fomitẽ, vnde ſcateãt cupiditates, quæ ipſum ad peccandũ illiciant, & extimulent. Peccati fomitem hunc prurientem in nobis, ſiue accedat conſenſus, ſiue non, quis non malum eſſe dixerit, quum mali ſit cauſa. An non propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale, vt id quoque ad noſtrum negotium applicemus.* Hæc apologia. Peccati fomitem in homine manere fatemur, id eſt, concupiſcẽtiam: malum eſſe, ſi conſenſus non accedat, cum Auguſtino inficiamur. Neque is fomes ſemper mali, ſed quan-

doque boni cauſa eſt:Nam quum illi reſiſtimus,is nobis in bonum cedit,& victoriæ materiam præbet: quam certa manet corona,non ciuica aut muralis,ſed cœleſtis. *At propter quod vnum quódque tale (inquiunt) & illud magis tale, vt id quoque ad negotium noſtrum applicemus.* Acutè ſanè topicũ iſtud axioma ad negotium veſtrum applicaſtis. Sic quoniam ſol generationis animalium cauſa eſt, & ipſe animalia generat, ſic quoniam caloris cauſa eſt, & ipſe eſt calidus:ſic quoniã ſolis calor cauſa eſt putredinis, & ipſe putris eſt: Sic quoniã idẽ calor homines atros reddit, & ipſe ater eſt.Sic quoniã cos eſt cauſa acuẽdi ferri,& ipſa acuta eſt & ad ſecãdũ idonea,& Horatianũ dictum de cote falſi cõuincitur:*Acutum reddere quæ ferrum valet,exors ipſa ſecandi.*vt ille ſcribit. Quis enim id audeat negare, quum ex Caluinianorum dialectica topicum axioma ſit in prõptu? nempe propter vnum quodque tale eſt, & illud magis tale eſſe.Pergamus ad reliqua. *De iuſtitia autem imputata, qua fronte audet effutire rhetor peccatum tolli realiter, & iuſtitiam eſſentialem eius loco ſuccedere? quum diſertis verbis contrarium doceat ſcriptura.Sic enim*

Horat. de arte poet.

Eadẽ pag. 26.

de Abrahamo teſtatur, Credidit Abrahã deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. non dicit in Abrahamo peccatum omne realiter ablatum eſſe, & iuſtitiam eſſentialem, eius loco ſucceßiſſe, ſed fidem Abrahamo ad iuſtitiam imputatam eſſe, hoc eſt Deum habuiſſe ipſum pro iuſto, propter fidem, qua mediatorem Chriſtum & vidit, & apprehendit. Hæc Apologia. Dixit Belcarius baptiſmo peccata reipſa ablui, & aboleri, mox hominem ſanctificari, & verè in conſpectu Dei iuſtificari, ac per ſpiritũ ſanctum iam illi inſidentem Dei iuſtitia donari, per quam homo in ſe ſit iuſtus, ita Chriſto, & eius ſpiritu procurante, & illi gratiam ſuam communicante, quod Auguſtini teſtimonio confirmauit. *Legimus (inquit Auguſtinus) eos in Chriſto iuſtificari, qui credunt in eum propter occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſque hæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* *At contrarium docet ſcriptura (inquiunt) quæ Abrahamo fidem ad iuſtitiam imputatam eſſe teſtatur, non autem peccatum omne in Abrahamo realiter ablatum, & iuſtitiam eſſentialem eius loco ſucceßiſſe.* Si nullum præterea veſtræ imputatæ iuſtitiæ firmamentum, aut βάσιν habetis, ſanè ea ſtatim tota vacilla-

Aug. lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 10.

Gen. 15. 6. Rom. 4. 5.

bit, aut potius tota corruet. Huius autem quæſtionis cardo in eo vertitur, vt quid ſit aliquid alicui ad iuſtitiam imputare interpretemur. Quum autem Paulum interpretem habeamus, cur alium ſolliciti quæremus? Sic autem ſcribit, *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis.* Et paulò poſt. *Si enim Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Hæc duo inter ſe opponit Paulus, nempe iuſtificari fide, & iuſtificari ex operibus: Et quod Geneſeos ſcriptor de Abrahamo dixerat, fidem ſcilicet Abrahamo ad iuſtitiam reputatam, Paulus Abrahamum fide iuſtificatum interpretatur, vt cui aliquid ad iuſtitiam reputatum eſt, eundem hoc nomine iuſtificatum intelligamus: quod etiam Græcus interpres magis exprimit, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην (inquit) ſupputatum eſt illi ad iuſtitiam, id illi in iuſtitiæ rationem relatum eſt, hoc eſt, ipſe Abrahamus hoc nomine iuſticatus eſt, vel in iuſtorum numerum eſt relatus, aut vt interpretatur Muſculus, *ob eam fidem iuſtus à Deo eſt reputatus, & ab omnibus delictis abſolutus.* Deus autem quum ſit verax, neminem iuſtum

Rom. 3.

Muſculus in c. 15. Ge.

reputat,qui re vera iuſtus non eſt. Sub finem eiuſdem capitis ſeſe rurſus explicat
Rom.4. Paulus.*Non eſt autem ſcriptum(inquit)tantum propter ipſum,quia reputatũ eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum* Do*minum noſtrum à mortuis*.Et initio capitis ſe-
Rom. 5 quentis. *Iuſtificati ergo ex fide pacem habemus ad* Deum. Hic iuſtificatos fide appellat,quibus, prius fidem ad iuſtitiam imputandam dixerat, vt ad iuſtitiã imputari,nihil omnino aliud ſit,quàm iuſtificari. Semper enim Deus iuſtitiam imputare intelligitur, qui nihil falſo imputat, hoc eſt iuſtitiam alicui non imputat, niſi re vera iuſtitia illi inſit, niſi is re vera ſit iuſtus: Sic Deus Abrahamo fidem ad iuſtitiam ſupputauit, & eundem iuſtum pronuntiauit. At iuſtificatio peccatorum remiſſionem, & ſanctificationem complectitur, vti copioſè enarrauit Belcarius: itaque ſi Abrahamus iuſtificatus eſt, peccata re ipſa illi remiſſa fuiſſe,ac ſanctificationem,atque iuſtitiam ſucceſſiſſe neceſſario conſequatur. In eandem ſignificationem peccata imputari, & non imputari dicuntur: vti à Belcario quoque ex-

plicatum eſt: quibus enim imputantur ij coram Deo polluti habentur, & ſunt. ideóque pœnis quoque obnoxij ſunt: quibus non imputantur iidem Deo ſunt accepti, ideóque pœnis ſunt immunes. Quemadmodum autem cui imputatur peccatum, eidem ſi mox reſipiſcat, non imputatur, hoc eſt, remittitur, ac tum ille ipſe coram Deo iuſtus eſt, ita & qui iuſtificatus eſt, poteſt iterum labi, & ea naturæ noſtræ eſt infirmitas, vt ſine crimine viuere homo poſſit, ſine peccato autem non poſſit. vt docet Auguſtinus. Itaque nihil mirum eſt, ſi Dauid iuſtificatus, millies (vt ſcribitis) peccatorum remiſſionem petat. Neque enim hic homini perfectam, & omnibus numeris abſolutam iuſtitiam tribuit Belcarius, ſed iuſtis, & ſanctis illud iniungi docuit, *Vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Ex ſuperiore Moſis loco peruerſa interpretatione corrupto, impia illa, & prorſus exitialis de imputata nobis Chriſti iuſtitia profecta doctrina eſt: quæ & Chriſti gratiæ vim retundit, inanémque reddit, & nos non noſtra, ſed aliena iuſtitia tectos, quaſi parietes opere tecto-

Aug. lib. 2 cont. 2. Pel. epiſt. c. 14.

Apoc. vlt.

Gen. 15. verſ. 6.

rio dealbatos coram Deo opt.max. ſiſtit: perinde acſi diuinam illam maieſtatem omnia ex æternitate prouidentẽ, præuidentem, ac peruidentem, circunſcribere vellemus, aut illi fucum facere poſſemus.

Quod ad Abrahami ſinum attinet, ſanè magni iſti dialectici loco illo communi commodè vtuntur (quem inter cæteros ſuæ topicæ locos, tanquam valde inſignem mirificè amplectuntur) & ab aliis reſponſum eſſe aiunt: neque tamen qui, aut quo loco reſponderint, indicant: quod ſaltem ne lectorem ſuſpenſum relinquerent, indicare oportuit. Nos lectorem rogamus, vt quæ à Calninianis hac de re ſcripta ſunt, cum Belcarij ſcriptis conferat, & vtri vera dixerint, diiudicet. Mox præclaro ſuo loco vſi, quaſi re ſalua, & quæſtione prorſus abſoluta ſuo munere probè defuncti, *duorum duntaxat locorum ſcripturam meminiſſe pronuntiant. Sibi verò tertium ſacrilega temeritate fingere non licere,* ideóque piorum omnium animas ante Chriſtum in cœlo habitaſſe nõ dubitant: Et ſi nonnihil laborant, quomodo ſub Chriſti mortem multæ ſanctorum animę huc redierint, & ſeſe Hieroſolymis con-

ſpiciendas præbuerint. *Sed Chriſti ſanguis (inquit Hieronymus) paradiſi clauis fuit, antequam is effunderetur, nemo paradiſum ingreſſus eſt.* Et Chriſtus dicitur, *primus aſcendiſſe in altum, & captiuam duxiſſe captiuitatem.* Vnde nonnulli ſcriptores eccleſiaſtici neminem ante Chriſtum in cœlum receptum inferunt. Quin etiam Caluinus alium ante, alium poſt extremum iudicium piis animis locum aſſignare quodammodo videtur. Ait enim. *Interea quum ſcriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Chriſti, & gloriæ coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant, atque ita omnia teneri ſuſpenſa donec Chriſtus appareat redemptor: reprobis autem eandem eſſe ſortem dubium non eſt, quam Iudas diabolis aſſignat, vinctos cathenis teneri, donec ad ſupplicium, cui addicti ſunt, trahantur.* Multum diuerſam animarum, ſiue piarum, ſiue impiarum ante, & poſt extremum iudicium conditionẽ eſſe tradit, & hinc diuerſam indicat habitationem. Quem locum trãſtuliſſe ex Ambroſio videtur: Sic enim

Hier. epiſt. ad dardanũ & in Epitaphio Nepotiani & in c. 9. Eccl.

Ambro. in c. 4. ad Eph.

Chryſ. hom. de diuite in c. 16. Luca, & homil. 4 in Marcũ.

Cal. inſtit. lib. 3. c. 25. ſect. 3.

illis ſcribit. *Ergo dum expectatur plenitudo tem*
poris, expectant animæ remunerationem debi-
tam. Aliàs manet pœna, aliàs gloria: & tamen
nec illæ interim ſine iniuria, nec iſtæ ſine fructu
ſunt. Vel ex Tertulliano. *Apparet ſapienti*
cuique (inquit Tertullianus) qui aliquando Eli-
Tertull. lib. *ſios audierit, eſſe aliquam localem determinatio-*
4. aduerſ. Marcionẽ. *nem, quæ ſinus dicta ſit Abrahæ, ad recipien-*
das animas filiorum eius, etiam ex nationibus, pa
tris ſcilicet multarum nationum in Abrahæ cen-
ſum deputandarum, & ex eadem fide, qua Abra
ham credidit Deo, nullo ſub iugo legis, nec in ſigno
circunciſionis. Eam itaque regionem ſinum A-
brahæ dico, & non cœleſtem, ſublimiorem tamen
inferis, interim refrigerium præbituram anima-
bus iuſtorum, donec conſummatio rerum, reſur-
rectionem omnium plenitudine mercedis expun-
gat. Quo ſpectare & illud putant. *Nam ſi*
Deus angelis qui peccauerunt, non pepercit, ſed
cathenis caliginis in tartarum præcipitatos tradi-
2. Pet. 2. *dit ſeruatos in iudicium, vel ſeruandos,* vt pro
τετηρημένους legendum ſit τετηρησομένους tempore
futuro. Neque obeſt quod ante dixit Cal
uinus de loco animæ poſt hanc vitam, nõ
eſſe quærendum: quod non eadem ſit a-
nimæ, quæ corporis dimenſio. Quan-
doquidem facile reſpondetur, animas et-
ſi

ſi propriè in loco non ſunt, tamen ſuo modo in loco eſſe, etiamſi loco non circunſcribantur, id enim de corporibus duntaxat Scholaſtici theologi interpretantur. Sic Deum eſſe vbíque dicimus, non item angelos: quos hîc, aut illic aliquando eſſe dicimus, quum nec Deus, nec angeli propriè ſint in loco. Adhæc ſi ſinus Abrahami, eadem fuit, quę piis poſt Chriſtum promittitur ſedes, quare potius ea ſinus Abrahami, quam regnum cœlorum appellata eſt? quemadmodum in nouo inſtrumentò appellari ſępenumero ſolet. Par erat nimirum vt à Deo, aut Dei habitatione potius, quàm ab homine nomen ſortiretur. Sed quoniam plura argumenta congeſſit Belcarius, vt hoc ipſum comprobaret, quibus haud quicquam Caluiniani reſponderunt, tum alia & ipſe addam, quum illos reſpondiſſe intellexero. Nam quod ſcripturam non niſi duorum locorum meminiſſe aiunt, idcirco nec ſe plures fingere ſinus Abrahami ſcripturam meminiſſe reſpõdemus, quem ab illis duobus veteres diſcernunt: nec eundem eſſe cum illorum altero ſcriptura vnquam pronuntiauit. Quod ſi

idem cum alterutro priorum illorum locus fuiſſet, cœlo, inquam, aut gehenna, haud ſimpliciter Abrahami ſinum Lucas nominaſſet, ſed vtri illorum accommodari debebat, addidiſſet, aut communẽ loquendi morem ſequutus fuiſſet, ſiquidem ab aliis eius nulla fit mentio. Aut quomodo hunc ſinum eundem locum eſſe cum cœlo, vel cœleſti habitatione Caluiniani probabunt? Proferant ſcripturam, quam toties à nobis exigunt: Veteres enim inferis attribuũt, vt Belcarius plærı́ſque locis docuit, & nos ſupra annotauimus. Adhæc multarum rerum ſcriptura non meminit, quæ tamen piè creduntur, neque vos inficiari poteſtis. Nuſquam baptiſmi infantium illa meminit, imò vero nuſquam baptiſmum, ac dominicam cœnam ſacramenta eſſe, vt vulgò definiuntur, & vſurpantur, diſertè pronuntiauit. Nuſquam ſpiritum ſanctum à patre, filióque procedere declarauit, nuſquam baptiſmum in hæreticorum eccleſiis adminiſttatum non iterandum definiit. Et quid multa cõmemorem? quum hæreticos raro ſcriptura, (quam peruerſis ſuis interpretationibus huc, illúcque

detorquent) traditione ſæpius vinci ſcripſerint, qui magni inter ſcriptores eccleſiaſticos nominis fuerunt. Quinetiam vos quum aduerſus Anabaptiſtas diſſeritis, non tam ſcriptura ſæpenumero, quam traditione pugnatis. Sed quoniam traditionum eccleſiaſticarum authoritas ab aliis, tum antiquis, tum recentioribus ſatis propugnata eſt, & locus amplus, ac latè patens paucis concludi non poteſt, plura huc congerenda non cenſeo. Veniamus ad prædeſtinationem. *Caluinum & Bezam falſo aſſerere ait ſublimis theologus, nihil fieri fortuito, ſed vniuerſa ex* Dei *voluntate, & decreto, quaſi vero non falſi potius teneatur ipſe, cum manifeſtis ſcripturæ locis conuincatur, res etiam noſtro iudicio maximè fortuitas, non tamen fortuito accidere.* Actiones ciuiles fatali neceſſitati, hoc eſt, Caluinianæ prædeſtinationi non ſubeſſe, ſed noſtro arbitrio relinqui, nõ ſolum catholici (vt ſunt, & vocantur) ſed etiam Lutherianæ profeſſionis præcipui ſcriptores tradiderunt. Nec ſolum actiones ciuiles, ſed externa (vt loquuntur) legis opera, vt ſe à raptu & furto continere, neminem iniuria afficere: Neque inficiatur Chriſtus

Tertull. de præſcri. adu. hæreticos.

pag. 29.

Melancth. in locis cõm. c. de lib. arb.

Authores hiſtor. eccl. Magdebur. cent. 1. lib 1. c. 4. de extremis legis operib.

Phariſæos quadã pollere iuſtitia, ſed cui multa deſunt. qui locus tum ab antiquis, tum à recentioribus eſt copioſiſſimè tractatus. Hæc autem Caluinianæ prædeſtinationi, quam veteres philoſophi fatum nominarunt, ex diametro repugnant: Fatum enim illi appellabãt rerum omnium, actionúmque (vt Seneca ſcribit) quæ fuerunt, ſunt, & erunt, neceſſitatem: ſed huiuſmodi neceſſitatem alij aliter explicabant. Eam Stoici, qui in naturæ cauſis inueſtigandis plurimum inſudabãt, in quadam mutuo ſibi ſuccedentium cauſarum ſerie, & quaſi concathenatione poſuerũt. Aſtrologi in aſtrorum diuerſis motibus, & coniunctionibus: Phariſæi & Eſſeni in Dei conſilio, ſiue decreto collocabant: quanquam phariſæi aſſenſui noſtro nonnihil tribuebant. Hoc Eſſenicum dogma quod magis quàm phariſaicum cũ ſcriptura, & recta ratione pugnat, Caluiniani renouare conantur. Quid enim fatum, vt ab Eſſenis aſſerebatur à Caluiniana prædeſtinatione differt? Omnia Dei conſilio. i. decreto fieri illi aiebant, nec quicquam in noſtra eſſe poteſtate, aiũt & iſti. Sed rationes quibus iſtud confirmet à

Seneca in quæſt. naturalibus.

Ioſep. antiq. Iud li. 13. c. 9. & li. 18. c. 12.

Stoicis ſumpſit Caluinus, vt Belcarius explicauit. Nunc quos manifeſtos ſcripturę locos proferant acutí miniſtri, qui tantopere ſe Dei verbum pro certa fidei, vitæque regula habere iactant, breuiter expendamus. *Docet ſcriptura (inquiunt) in Deo nos eſſe, moueri, & viuere, Defractum ex arbore ramum non temere viatorem interficere, ſed dominum eſſe qui interfectum tradiderit in manũ occiſoris. Sorteis ab ipſo dirigi & gubernari. Capillos capitis non perire abſque ipſius decreto. Paſſerculos quoque in terram non decidere ſine patris voluntate.* Quod in Deo viuere, moueri, & eſſe dicimur, id nimirum eſt, ab eo vitæ, & motus initium, & mouẽdi vim nos habere: imò verò quod omnino ſimus, id Dei beneficentiæ tribuendum hic verſus docet. Animaduerte autem quæſo pie lector, quos iſti manifeſtos ſcripturæ locos afferãt, vt prædeſtinationem ſuam ſtabiliant, & Belcarium falſi teneri (ſic enim loquũtur) oſtẽdant. Verſus eſt è Gręco poëta ſumptus, quem ſuo argumẽto Paulus accommodauit, vt Athenienſibus, qui poëtarum etiam ſuorũ authoritate commouebantur, Chriſtianam religionẽ perſuaderet. Quomodo autem probabunt

Ead pa. 19. Act. 17. Exod. 21. Prouer. 16. Matt. 10.

acuti miniſtri, Poëtam illum hoc verſu prædeſtinationem vel confirmare, vel quod multò minus eſt, indicare voluiſſe? Commodam eius verſus (ni fallor) interpretationem ſupra attulimùs, quæ cum prædeſtinatione cõmune nihil habet. Indicatur autem duntaxat hoc verſu latè patens, omnémque naturam præſertim anima præditam penetrans illa Dei vis, aut influxus, vt vocatur, de quo Latinus Poëta ita cecinit:

Principio cœlum, ac terras, campóſque liquenteis
Lucentémque globum lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominũ, pecudúmq; genus, vitæq; volantũ,
Et quæ marmoreo fert mõſtra ſub æquore pontus.

Itaq; & de brutis vere dici poteſt, quod in Deo viuunt, mouentur, & ſunt. At nec vos (opinor) brutis prædeſtinationem aſcribetis, niſi & iiſdem reprobationem, ſiue reiectionem aſcribere voletis, prædeſtinationem enim eam intelligo quæ reiectioni opponitur. neque quod ex dei præſcripto, huc, aut illuc, hodie aut perẽdie progrediantur, aſſeretis. Sed nec Paulus eo loco de Prædeſtinatione vllũ ver-

bum facit,nec Græcũ verſum in eam ſententiam protulit. Quæ igitur iſthæc impudentia eſt, Poetarum dicta pro manifeſtis ſcripturæ locis ſupponere, & ea nihilominus falſa interpretatione peruertere, ac nobis tanquam Dei oracula opponere? Cur nõ etiam quod ſequitur hemiſtichion addidiſtis, *Ipſius enim & genus ſumus*(aiebat poeta) vt nos à Deo etiã quo ad corpus, originem trahere probaretis, non ſecus atque Herculẽ ex Ioue traxiſſe poetæ fabulantur. Poeticis verſibus ſuccedit Exodi locus qui ita legitur. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus,ſed Deus tradidit illum,in manus eius,conſtituam tibi locum in quem fugere debeat.* Qui quã vim habeant phraſes Hæbraicæ nouerit,hũc locum ad ſtabiliẽdã prædeſtinationẽ nihil quoque cõferre facile iudicabit: Obdurauit Dominus cor Pharaonis.i.permiſit vt obduraretur& obfirmaretur:ne nos inducas in tẽtationẽ.i.ne induci ſinas: Tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum.i.permiſit vt traderẽtur.Tradidit illũ Deus in manũ proximi.i.permiſit vt traderetur,hoc eſt, vt à ꝓximo occideretur.Sic enim de his quæ

Melancton in locis communibus. c. de prædeſt. liberi ſunt arbitrij, aut fortuito eueniunt, etiã ſcriptura loqui nõnunquã ſolet:quã interpretationẽ etiã q̃ à nobis defecerũt, veriſſimã fatẽtur. Quãquã Hebręi, vt ad locũ Exodi redeã,eũ qui ita cæſus fuerit, ob patratum aliquod ſcelus à Deo mulctatum putant, quod magiſtratus vltionem nocens effugerit.Et fieri poteſt,vt in eos qui peccauerũt,fortuito aliquo(vt videtur) euẽtu aliquãdo Deus animaduertat,ne omnino fortuitos rerũ euẽtus à dei decreto ſeparari quis putet.Sed ſemper à Dei pẽdere decreto,id vero prorſus inficiatur Belcarius. Porrò is quid inter Dei voluntatẽ & permiſſionẽ interſit, abũdè explicauit. Peruertũt audaces miniſtri locũ prouerbiorũ,vbi legitur,Sortes mittũtur in ſinũ,ſed à Deo tẽperantur.Hebraicum verbũ ſignificat, Sortes Dei iudicio ſubiacere,aut Deum habere ius in ſortes, ideoq; earũ nonnunquã rationẽ habere: quis iſtud negat?Sed ſortes ſemper à deo ita dirigi,vt fortuitũ nihil relinquatur,vel quod libero noſtro arbitrio ſubſit, quomodo inde inferetis?Tãetſi hũc verſũ lõlõgè aliter legit Grecus interpres. εἰς κόλπους ἐπέρχεται πάντα τοῖς ἀδίκοις, παρὰ δὲ κυρίου πάντα τὰ δίκαια.

(margin: *Prouer. 16.* beside "cũ prouerbiorũ")

Capillos capitis omneis numeratos, & paſſerculos non decidere in terram ſine patris voluntate ſcripſit Matthæus, his verbis ſignificans nos in primis Deo curæ eſſe, qui enim numerat, curam rei numeratæ ſe habere indicat. Et nonnulla καὶ' αὔξησιν, & quaſi ὑπερβολικῶς in ſacris libris nonnunquam enuntiantur, vt illud. *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium*. quibus verbis ſe omnem vltionis libidinem auerſari Chriſtus docet, & à nobis ſummam manſuetudinem exigit: quem poſtremum Matthæi locum tanquam ὑπερβολικῶς enuntiatum etiam Bucerus interpretatur. Alioqui veriſſimum eſt Deo capillorum noſtrorum conſtare numerum, vt-pote qui omnia & videat, & præuideat, & paſſerculos non decidere in terram ſine illius voluntate, hoc eſt, præter illius voluntatem (vt interpretatur Auguſtinus) latius acceptam ſcilicet, quæ & ea quæ propriè vult Deus, & à nobis fieri poſtulat, & ea quæ permittit, etiamſi à nobis facta non cupit, comprehendit. *Hinc miro & ineffabili modo multa contra Dei voluntatem fieri, quæ ta-*

Matth. 10.

Aug. in enchiri. c. 100.

men præter eius voluntatem non fiant, docet idem Auguſtinus. Sed ſi quis iſthæc ita accipiet, prædeſtinationem nullo modo confirmabunt: modo quid inter Dei voluntatem propriè acceptam, permiſſionemq́; interſit diſcernere, & ad eam regulã omneis iſtorum cauillationes reuocare nouerit: nam voluntas latius ſumpta etiam permiſſionem complectitur. Antequam autem ad alia progrediar, te pie lector admonitum velim, de quatuor capitibus maximè nobis cum Caluinianis eſſe controuerſiam, de infantium in matrum vteris ſanctificatione, de Euchariſtia, de iuſtificatione, de prædeſtinatione: primum ex profeſſo tractandum ſuſcepit Belcarius, cætera obiter & per tranſennam, & ferè quatenus ad illuſtrandam baptiſmi naturam conferunt. Ne quis Belcarium à ſua hypotheſi digredi longius, aut miſcellam quandam congerere exiſtimet.

Iam ad Bezæ dilemma indiſſolubile (vt improbus ſui oſtentator alienam perſonam indutus iactat) accedendum eſt. *Quicquid fit (inquit) aut Deo fit otioſo & conniuente, aut Deo volente, aut Deo inuito & repugnante: hanc diuiſionem dico eſſe pleniſſimam:*

nam inter duo extrema colloco medium. Hanc partitionem falſiſſimam eſſe tum veteres, tum recentiores quotquot de Dei permiſſione ſcripſerunt, manifeſtè arguunt. Nam quod medium arrogans nebulo collocat, medium reuera non eſt. Extrema ſunt, Dei voluntas, & inuoluntas (ſi ita loqui liceret) .i. repugnantia, hoc eſt, ea affectio quę Dei voluntati propriè acceptæ, & quæ ea quæ fieri vult Deus, à nobis poſtulat, ex diametro repugnat: quẽadmodum volentẽ inuito opponere ſolemus. Inter hæc duo extrema, media eſt Dei non conniuẽtia, aut otioſitas, vt falſo ſumit Beza, ſed permiſſio. Collocentur ergo hôc ordine, Dei voluntas, permiſſio, repugnantia. Duo priora Deo conuenire poſſunt. Tertium accidere nunquam poteſt. Sic vult Deus, vt bene viuamus, permittit vt peccemus, & ſi nõ vult, illo inuito fieri nihil poteſt. Itaque quum nõnullos tradi in reprobum ſenſum permittit Deus, non permittit otioſus, aut *Rom.1.*
conniuens, ſed magna ratione, nempe vt peccatum peccato puniat, quum tamen peccati nunquam ſit author, & aliis de cauſis plærunque permittit, quemadmo-

dum Belcarius docuit,&veterum recentiorumque de Dei permiſſione conſenſum copioſè enarrauit, vt de Bezano dilemmate tanquam gordiano aliquo modo diſſoluendo, vltra laborandum non ſit: ſi res humanas cum diuinis comparare licet,ex his exempla ſumamus. Optat pater vt filius iuriſprudentiæ operam nauet, optionem tamen relinquit, vt quam velit, artem factitet: filius ſe ad militiam confert, & id quidem patre,nec volente, nec inuito,ſed permittente:nec permittit pater otioſus, ſed magna ratione filio indulget:hoc eſt, paterna indulgentia filio permittit, vt naturam ſequatur ducem, quod alij ad alias artes vel perdiſcendas, vel exercendas natura ſint magis idonei. Viden' pie lector, vti Bezanum dilemma indiſſolubile,vt ille iactat,facile diſſoluatur. Ab hoc autem ad exorciſmos progrediamur, vt cum iſta iactantia parem impudentiam conferamus: *ſe ſcriptorum omnium authoritatem nihilipendere magna confidentia profitentur eruditiſſimi miniſtri, ſibi pluris eſſe Dei verbum, quam omneis homines, vtcunque ſint pietatis, doctrinæ, ſanctitatis nomine laudati*. Breuis & expedita reſponſio, &

quæ ſi vera eſt, ad euertendam omnium quotquot de religione ſcripſerunt, authoritatem,& ad profligandam conciliorum vniuerſorum maieſtatem, ſatis eſſe poteſt. Sed quis hæreticorum eadem reſponſione aduerſus eccleſiam vſus non eſt? proximum igitur eſt, vt quale ſit iſtud Dei verbum expendamus. *Manifeſto Dei verbo didicimus (inquiunt) & iam antea docuimus, baptiſmum nullis cõmunicari debere, quam quos aut propria confeßione, aut ex formula fœderis conſtabit nobis gratiæ iam eſſe participes: ſequitur huiuſmodi exorciſmos, quantumuis ab angelo profecti eſſent, deteſtabile cõmentum eſſe, quando iis gratia Dei ſepelitur, quaſi adhuc ſub ſatanæ iugo detinerentur, quos Deus ſibi in filios adoptauit.* Quale porrò manifeſtum iſtud Dei verbum eſt? Promiſit Deus Abrahamo, ſe Deum illius, & ſeminis eius fore (inquiunt) ergo ſancti ſunt etiam in matrum vteris fidelium filij. Acuta illatio, & plæraſque huius farinæ in Caluinianorum dialectica reperire eſt. Sed vnde hęc ita inter ſe connecti, aut alterum ex altero neceſſario conſequi probatis? nam longè aliam huius fœderis rationem fuiſſe docuit Belcarius, & nos ſupra attigi-

Pag.31.

mus,vt moleſtà repetitione opus non ſit. Et infidelium hæreticorumque infantes, etiam in hæreticorum eccleſiis verum baptiſmum recipere idem multis argumentis cõfirmauit,quos ante baptiſmum gratiæ fuiſſe participes, nemo ſanus fateri audebit. Quum igitur neque ſpirituſſanctus Moſis ore loquens id ſignificare voluerit, neque quod inde infertis conſequatur,imò contrarium planè eueniat,& in eccleſia receptum ſit, hoccine tãdem Dei verbum, quod iam diaboli veſtra peruerſa interpretatione feciſtis,pro germano Dei verbo obtrudetis?& totis buccis verbum Domini,verbum Domini intonabitis? idque vobis pluris eſſe iactabitis,quam omneis homines,vtcunque ſint pietatis,doctrinæ,ſanctitatis nomine laudati? Quæ,malùm, iſthæc tam deplorata hominis vnius, aut paucorum impudentia eſt,vt ſuum iudicium omnium ſcriptorum eccleſiaſticorum iudicio anteferendum, nec quicquam illis deferendum pronuntient? vt Dei verbum appellent, quicquid ſine vlla ratione,ſine exemplo, ſine Dei verbo,aduerſus vniuerſæ eccleſiæ conſenſum, Dei verbo temere addi-

derunt. Quem porrò tam inuſitatę temeritatis authorem proferre poſſumus? an non eum ipſum, quem ſcriptura profert? Dicebat olim ille veſtræ ſcholę magiſter, *Si filius Dei es, mitte te deorſum*. An deerat ſcriptura? minime gentium: imò verò præſto erat, multo ea veroſimilior, quam nuper attuliſtis. Scriptum eſt, aiebat ille: *Angelis ſuis mandauit de te, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid vos tanti magiſtri diſcipuli? aliam ſanè, imò contrariam viam excogitaſtis, & nobis perſuadere contenditis: eam nimirum quam primus ille deſertor angelus, primos homines ad defectionem ſollicitans, indicauit. *Eritis* (*aiebat*) *ſicut dij, ſciẽtes bonum & malum:* Sic vos quiſquis ex fidelibus originem ducis, certo tibi perſuade, te Deo ſimilem eſſe, aut ſaltem te in eius ſocietatem aſcitum, tibi bonum ineſſe, tibi ineſſe ſanctitatem, etiamſi adhuc in matris vtero deliteſcas: te ſanctificatum eſſe, te in Dei filium adoptatum noueris. Promiſit enim Abrahamo Deus, ſe Deum illius, & ſeminis eius fore. Interea tamen tibi malum etiam ineſſe ne dubites, hoc eſt peccatum originis, & quidem

Matt. 4.

Pſal. 90. c.

à prima tui confirmatione: & tamen id nihil eſſe certò ſcias. Conſtat enim peccatum iſtud nullas habere vires, nullum tibi ad cœlum præcludere aditum, ſed mortuum iacere, hac ex fœdere ducta ſanctitate proſtratum. quid igitur ſupereſt, niſi vt Deo ſis ſimilis, vi fœderis Dei filius adoptione factus? Nonne hæc ratio cum illa pulchrè quadrat, & ab eadem officina proficiſci dignoſcitur?

pag. 31. Quod ad baptiſmum à mulieribus adminiſtratum attinet, omneis ſcriptores eccleſiaſticos, vt cunque ſint pietatis, doctrinæ, ſanctitatis nomine laudati, veſtro more reiicitis, & ſalutem noſtram à Dei miſericordia pendere ſcribitis. quod poſtremum ita habere & nos fatemur: Sed id nihil omnino iis qui de baptiſmo à noſtris tradita ſunt, obeſt, vt iam ſatis perſpicuè declaratum eſt. Quas autem ex Dei verbo rationes, aut quæ exempla profertis, aut quid ad Belcarij rationes reſpondetis? hic quum plus, quàm piſces muti ſitis, nonne aut ignorãtiam veſtram proditis, aut veritatis conſcientia, ita vos conſtringi agnoſcitis, vt ne vllum quidem verbum efferre audeatis? Confictam à

Belcario,

Belcario, & eius gregalibus baptiſmi neceſſitatem obiicitis: Atqui baptiſmum vt ſalutem conſequamur, neceſſarium eſſe Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & ferè veteres omneis, ac pleraque item concilia tradiderunt, vti à Belcario multis locis proferuntur: iſtóſne Belcarij gregales appellabitis? an potius ſe illorum gregalem (ſi veſtris verbis vtendum eſt) Belcarius gloriabitur, & vobis, veſtriſque gregalibus nouarum rerum ſtudioſis, vniuerſæ eccleſiæ conſenſum ſcripturæ veritate nitentem opponet? Additis baptiſmum à ſolis miniſtris legitimè vocatis poſſe conferri. At Tertullianus itidem Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, & veteres fere omneis contra ſentiunt: quam ſcripturam aduerſus illos acuti miniſtri proferetis? Nam peruerſam fœderis cum Abrahamo icti, à veſtris inuectam interpretationem ab ipſis fundamentis, & ante Belcarius & nos etiam (ni fallor) euertimus. Quid de eccleſiæ Romanæ, quid de confeſſionis Auguſtanæ, & aliarum ſectarum (vt hodiè penè innumerabiles ſunt exortæ) miniſtris dicetis? an baptiſ-

mum ab illis rite conferri fatebimini? Atqui hi omnes veſtro iudicio doctiſsimi miniſtri legitimè vocati non ſunt: quis enim legitimus eccleſiæ miniſter dici poteſt, niſi in eccleſia rite ſit initiatus, niſi
Cal.inſt l.4 c.2.ſect.1. primum eccleſiæ ſit membrum? Vos autem veram eccleſiam à falſa, ſyncera verbi Dei promulgatione & ſacramentorum adminiſtratione diſcernitis: quum vobis cum illis de pura verbi Dei annuntiatione, & ſacramentorum adminiſtratione non conueniat, ſynceram illis verbi Dei annuntiationem, & ſacramentorum adminiſtrationem, concedere non poteſtis? Si ſyncera apud illos horum adminiſtratio non eſt, neque vera apud illos eccleſia eſt. Aut igitur veſtram eccleſiam inficiari, aut illos in falſa eccleſia vocatos, ideóque non legitimè fuiſſe vocatos fateri cogemini, neque item puram verbi Dei annuntiationem proponere, quo fit vt legitimus baptiſmus ab illis nō poſſit adminiſtrari. In ſolis itaque Caluinianis eccleſiis baptiſmus ritè in poſterum conferetur. Sic enim ſcribitis. *Chri-*
Pag.32. *ſtus quos ad euangelicæ doctrinæ promulgationem vocauit apoſtolos, eoſdem conſtituit baptiſ-*

mi adminiſtros nec alios, idque optimis de cauſis. Et paulò poſt. *Si autem alius quiſpiam adminiſtret, vbi alterum ex his duobus, quæ ad legitimam baptiſmi adminiſtrationem neceſſariò requiruntur? vbi inquam legitimus miniſter, aut iuſta verbi annuntiatio? Quum deſint, ſequitur nullum ibi eſſe baptiſmum.* Ego viciſſim inferam: vbi in hæreticorum eccleſiis legitimus miniſter, & iuſta verbi annuntiatio? Atqui etiam ſi deſint, tamen huiuſmodi baptiſmum, modo triadis inuocatio non deſit, & baptiſmi natura non inuertatur (vt à Cataphrigibus & à quibuſdam Paulianiſtis inuerſa traditur) Eccleſia ſemper approbauit. Vbi in Romana eccleſia (ſi vobis creditur) legitimus miniſter, & iuſta verbi annũtiatio? quum deſint, an nullum ibi eſſe baptiſmum conſequetur, vt vos traditis? Ergo Nouatianorum, vel Donatianorũ dogma de iterando catholicorum baptiſmo renouabitis: Etſi enim id diſertè non ſcribitis, tamen ex veſtris ſcriptis, id neceſſariò conficitur: qua fronte igitur aliis anabaptiſmum obiicere audetis? Hinc & in veſtris ſynodis baptiſmũ à priuato, & eo qui legitimè vocatus nõ eſt in Eccleſia Romana

c. 19. concil. Niceni.

Cypr. ad Iubaianum.

Aug. de hæreſ. hæreſ. 69

Epiſcoporum velut ſeminaria dicerētur, ex quibus homines docti, & eruditione inſignes, Epiſcopatibus præfici ſolebant. nonne presbytero monaſticam profiteri licet? an propterea mox adminiſtrando baptiſmo minus erit idoneus? Nonne Baſilium illum magnū multis annis Epiſcopatu perfunctum, ſenem in ſolitudinem ſeceſſiſſe, & monaſticis inſtitutis reliquū vitæ tranſegiſſe legimus? An propterea rogatus baptiſmum adminiſtrare non debuit? Vos autem ſine vlla exceptione monachos ab hoc miniſterio arcetis. Sin monachos intelligitis, qui nullis ſacris ordinibus ſunt initiati, cur collatum ab illis vrgente neceſſitate baptiſmū iterandum putatis? nonne à laicis vt hanc dictionem cum vulgò vſurpemus, aut hæreticis adminiſtratū repeti vetat Auguſtinus? qua igitur fronte à monachis tinctos, de integro tingi iubetis? An minus vobis ad hāc obeundam functionem idonei monachi videntur? Quid autem de laicis, hæreticiſque magnus ille eccleſiæ ſcriptor ſentiat, audite. *Quanquam (inquit) ſi laicus aliqua pereūtis dederit neceſſitate compulſus, quod quum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit: neſcio an* *Aug. cōtra epiſt. Parm. li. 2. c. 13.*

piè quiſquam dixerit eſſe repetendum: nulla enim neceſsitate cogente ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt: ſi autem neceſsitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Sed & ſi nulla neceſsitate vſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamuis rectè dici poſsit illicitè datum: Illicitam ergo vſurpationem corrigit reminiſcentis, & pœnitentis affectus. Quod ſi non correxerit, manebit ad pœnam vſurpatoris, quod datum eſt, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit: non tamen pro non dato habebitur. Et paulò poſt. *Et hæc quidem alia quæſtio eſt; vtrum ab iis qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſsit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine authoritate tanti concilij, quantum tantæ rei ſufficit. De iis autem qui ab eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt, nulla iam quæſtio eſt, quin & habeant & dare poſsint: & quin pernicioſe habeant, pernicioſéque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim iam in ipſa totius orbis vnitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum, atque firmatum eſt.* Et rurſus eodem capite, *Nec vllo modo iſti expedire ſe poſſunt, quum eis proponitur, cur ſanctitas ſacramenti & haberi & dari poſsit ab eo quem intus ſceleratum iam Deus damnauit, & tunc incipiat ab eo dari non poſ-*

ſe, quum ab hominibus damnatus fuerit: quum tamen nec tum eam poßit amittere. Addit mox de Fœliciano ſchiſmatico in communi concilio damnato, qui tamen ob id nec baptiſmum, nec ius dandi baptiſmi amiſerit. Videtis vt Auguſtini ſeculo baptiſmum à laicis aut hæreticis aut ſchiſmaticis collatum, repetere nefas fuerit? quæ conſuetudo ſuperioribus etiam ſeculis, Tertulliani (inquam) ac Cypriani inualuit. Quanquã de hæreticorum baptiſmo aliter ſenſerit Cyprianus, ſed & à Cornelio Romano pontifice reprehenſus eſt, & publico concilio, contraria ſententia ſancita eſt. Tametſi autem ſuperioris orationis initio, an baptiſmus à laicis adminiſtratus repeti debeat, dubitare videtur Auguſtinus, mox tamen nec repeti, nec pro non dato haberi poſſe confirmat, vti antiquior apertè confirmarat Tertullianus: *Alioqui & laicis ius eſt* (inquit) & paulò poſt mutato numero eoſdẽ alloquens. *Sufficiat ſcilicet in neceßitatibus vt vtaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit: tunc enim conſtãtia ſuccurrentis excipitur, quum vrget circunſtantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare,*

quod liberè potuit. Vnde præſcriptam baptiſmi neceſsitatem neceſſario colligere debemus: alioqui ſuis, hoc eſt legitimis miniſtris ea functio integra conſeruaretur, quũ nihil vrgere poſſet, quod quẽquam ad alieni muneris vſurpationẽ incitaret. An igitur monachos in hac obeunda functione laicis, hęreticis, ſchiſmaticis vrgẽte neceſsitate inferiores exiſtimabimus? Quod autẽ eos duntaxat monachos qui populi rogatu, euãgelij annunciandi munus obeunt, pro legitimis miniſtris habetis, cæteros monachos excluditis, id magna ratione procuratis, & vobis iuſta (ſi Deo placet) exceptione ſedulo cauetis: nã ex veſtris qui doctiſsimi ferè ſunt, & publicis concionibus habendis aptiſsimi, ij monachiſmo abiurato, votiſq; violatis, ad vos defecerunt: nihil mirũ itaq; ſi eoſdem legitimè vocatos pronũtiatis, cæteros qui ſuæ profeſsionis leges diligenter obſeruant, ab omni eccleſiaſtico miniſterio arcetis. Quis autem præter vos legitimã eccleſiaſticorum miniſtrorum vocationem vnico plebis arbitrio detulit? nonne eadem ratione Anabaptiſtarum, Catabaptiſtarum, aliarumq; ſectarum omniũ mini-

ſtri, legitimi erunt paſtores, & cũ cætero-
rum miniſteriorum eccleſiaſticorũ, tum
conferendi baptiſmi ius ſibi vendicabũt?
Hiſne legitam vocationem concedetis,
quod à ſuę factionis plebe ſint vocati? aut *Cal. inſtit. lib. 4. c. 19.*
quî potius vocatos à plebe ad annunti- *ſect. 28. & 31.*
andum Euangelium Monachos pro le-
gitimis miniſtris habebitis? Nónne vos
ipſi manus impoſitionem, quæ miniſtro-
rum eccleſiaſticorum propria eſt, inter
ſacramenta muneratis, & Eccleſiæ paſto-
res à paſtoribus inaugurari iubetis? Pau-
lum Epiſcopos conſtituiſſe legimus, ple-
bis factam mentionem, populíve non le-
gimus. Tametſi & huius olim habitam ra
tionem in creandis Epiſcopis non infi-
cior, non vt ſibi ius creandorum vẽdica-
ret, ſed vt de præficiendorum ſibi Epiſco
porũ integritate teſtari poſſet, & iis quos
ſemel probauerat, facilius pareret. *Beza dial. 1. de ra Sa-*

Neque magis naturæ ſacramentorum *cram. pa. 19*
conſentaneum eſt, quod Dei verbum. i.
iuſtam promiſſionum gratiæ, & inſtitu- *pag 32.*
tionis ſacramentorum declarationem &
annunciationem ſacramẽtorum animam
eſſe dixiſtis. Si qua enim ſacramentis tri-
buenda anima eſt, eam maxime ſpiritus

ſancti gratiam eſſe dixerim: quæ vi ſua interiore agit, & ſuſcipientibus infunditur, Sacramentíſque ſuã impartitur ἐνέργειαν Nam indignis, & qui ſimulata fide ad baptiſmum accedunt, verbum, & elementum adminiſtratur, quanuis autem baptiſmus verè conferatur, veréque offeratur ſpiritus ſancti gratia inuiſilis, quæ nihilominus ob tincti indignitatem ſtatim reſilit, & euaneſcit, tamen huiuſmodi baptiſmus mortuus (ſi ita loquendum eſt) & inefficax eſt, quod nullam vim habeat, nihil ad conſequendam ſalutem conferat, niſi ad veram eccleſiam accedatur: quemadmodum fidem ſine operibus (vt iam dixi) Iacobus mortuam pronũtiauit: promiſſionum autem gratiæ, & inſtitutionis Sacramentorum declaratio, adultos quidem ad dignè ſuſcipienda ſacramenta præparat. cæterum à ſacramentorum natura multum diuerſa eſt, idcircóque in eorundem finitione, quemadmodum ſpiritus ſancti gratia non comprehenditur: Sunt enim ſigna inuiſilia gratiæ inuiſilis, quæ per ea confertur, vt ſacramentorum anima dici nullo modo poſſit. Et ſi huiuſmodi declaratio ſacra-

mentorum anima eſſet, quum eam recipere, atque intelligere nequeant infantes, profecto baptiſmi ſacramentum inanimum, vt ita loquar, hoc eſt, ſine anima reciperent: mortuū igitur, & inefficax reciperent: quod nec Caluinianos admiſſuros arbitror. Sit ergo conſtitutum, ſpiritus ſancti gratiam ſacramentorū eſſe animam: quæ ſacramentis ſcilicet vitam, hoc eſt, vim viuificam impartitur. Itaque quum ea baptiſmo accedit, & tincto inſidet, quæ non niſi in vera eccleſia accedere, ac conferri poteſt, tum ſolidus, viuïficus, omnibus ſuis numeris abſolutus baptiſmus adminiſtratur: qui & peccatorum remiſſionem præſtet, & in Dei filios adoptionem. Sequitur putida admodum & aperta Calumnia. Baptiſmū à puero per ludum, aut ab hiſtrione administratum à Belcario approbari aiunt: *pa.32.inf.* Atqui neq; probauit neque improbauit Belcarius, ſed ex hiſtoricis eccleſiaſticis & Auguſtino docuit huiuſmodi baptiſmos olim fuiſſe in eccleſia probatos, aut ſaltem de illis fuiſſe dubitatum, & inde argumenta duxit. Eiuſdem notę eſt locus de literis Bezæ Tafiníque interceptis.

Res autem ita habet. Literas ad Bezam tum ſcripſit Taſinus, vt recitauit Belcarius. Beza paucis reſpondit, reſponſionẽ literis ipſius Taſini attèxuit, & ſic literas remiſit, quarum ἀυτόγραφον plærîſque viris doctis, præſertim virò præſtantiſſimo, atque eruditiſſimo Theologo Fr. Claudio de Sainctes, cuius in detegendis Caluinianorum technis, ac malignitate conuincenda, ſatis cognita induſtria eſt, Belcarius communicauit, & quum opus erit, proferet. Nec minus impudens mendaciũ eſt, quod permultos infantes tũ in agro Metenſi, atque adeò in ipſa vrbe, tum in Galliis à noſtris de integro tinctos obiiciunt. Chriſma enim nonnullis adhibitum, cæteróſque eccleſiæ ritus additos probare poſſunt, Anabaptiſmum adminiſtratum nunquam probare poterũt. quanquam de Caluinianorum baptiſmo non ſine ratione dubitare poſſumus: tametſi enim triadis nomen adhibetur, ipſaque trinitas inuocatur, tamen in verũ baptiſmi vſum, & ſcopum nõ inuocatur, hoc eſt, vt tingendos peccatis abluat, ac ſanctificet, quod veri, efficacíſque baptiſmi proprium eſt. Iam enim ſanctifica-

ti ſunt infantes,ac proinde peccatis abluti, baptiſmúſque huius ablutionis,& ſanctificationis duntaxat ſignum eſt,vt Caluiniani tradunt: quorſum igitur trinitas inuocatur,niſi forte vt peccatorum remiſſionis, & regenerationis ſigno adminiſtrando adſit: quod vtique in primis abſurdum eſt. Nam quum ſpiritalis actio nulla interueniat, quemadmodũ ex Caluinianorum doctrina liquet,ſignum duntaxat ante collatæ gratiæ adhibeatur, quod miniſtri officium eſt, quorſum trinitas (cuius nullæ in huiuſmodi actione ſunt partes) inuocatur? Niſi forte vt miniſterio ritè obeundo adſit, à Caluinianis inuocatur. Siquidem infantibus ipſis nihil ſpiritale affertur:qui ante baptiſmũ quemadmodum Caluiniani tradunt, ſanctitate donati ſunt, & baptiſmũ in ſignum iam collatæ ſanctitatis accipiunt. Quomodo igitur in nomen Trinitatis tinguntur? quibus in ipſa actione,id eſt baptiſmi adminiſtratione, Trinitas nihil affert: ſed (ſi Caluinianis creditur) aduocata deſidet,tanquam otioſa ſpectatrix:Solus miniſter aquam adhibet, corpúſque abluit,vt iampridem animam ab-

lutam intelligamus. Tum vero nec in remiſſionem peccatorum, quæ tum verè exhibeatur, à Caluinianis tinguntur, quemadmodum concililiũ Mileuitanum & Carthaginenſe decernunt: Sed in ſignum remiſſionis peccatorum iampridem exhibitę, vt in eis forma baptiſma in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur: quod dogma eadem concilia deteſtantur, & illius authores malis diris deuouent: nec omittendum in ſacramentorum adminiſtratione neceſſariam eſſe miniſtri intentionem (vt Scholaſtici Theologi loquuntur, & docent) hoc eſt, vt miniſter in eum ſcopum ſacramenta adhibeat, in quem adhibenda eſſe docet; vel Chriſtus ſacramentorũ omnium author, vel eius ſponſa eccleſia. Atqui infantes tingendos docet eccleſia, vt peccato originis abluantur, Et Paulus nos ſalutem conſequutos ſcribit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, indicans ſcilicet baptiſmo peccatorum remiſſionem, & ſalutem cõferri. Quum igitur Caluiniani non in peccatorum remiſſionem, quæ baptiſmo conferatur, ſed in ſignum iam col-

latæ remiſſionis, ac diuinæ gratiæ baptiſmum adminiſtrent, qui ſcopus ab eo, quẽ nobis eccleſia præſcripſit, multum eſt diuerſus, & multis modis alienus, vt non *Cal. inſtit. lib. 2. c. 4. ſect. 2.* cum eccleſia, ſed aduerſus eccleſiæ ſcopum, quæ fidelis eſt ſacramentorũ inter- *Beza deabſterſion. in primo errore* pres, baptiſmum adminiſtrent neceſſe eſt, hoc eſt, vt verum baptiſmum non adminiſtrent. Nam & actiones ipſas à fine, *Billirk in defenſione iudicij vniuerſitatis & cleri Colonienſis aduerſ. calumnias Melanchthonis Bucerij. &c.* quò quiſque tẽdit, iidem metiendas eſſe ſcribunt. Hinc Lutherianos baptiſmos in conciliis prouincialibus damnatos legimus: quod longe maiore ratione de Caluinianis pronuntiare poſſumus. Sin baptiſmo peccatorum ablutionem, ac regenerationem, aut ſpiritus ſancti gratiam aliquam conferri fatebuntur: Baptiſmus nimirum non antè collatæ, ſed eius, quæ ipſa tinctione confertur, aut quæ mox conferetur gratiæ eſt ſignum. Quod ſi Caluinianos ex ſuæ doctrinæ principiis conuincere volemus, qua ratione baptiſmum ab eo qui legitimè vocatus non eſt adminiſtratum reiiciunt, nullúmque ce pronuntiant, miniſtríſque ſuis in ſuis ſynodis iniungunt, vt ita initiatos legitimo iterum, & publico baptiſmo initient, ea-

dem Caluinianum baptiſmum reiicere poſſumus. Siquidem Caluinianos pro legitimis miniſtris eccleſia agnoſcere nõ poteſt. qui veluti militiæ deſertores ab eius caſtris defecerunt: nec vero ſolum ab eius communione, ſed etiam à doctrina, & perpetuo in ſcriptura interpretanda cõſenſu defecerunt: illa baptiſmo peccatorũm remiſſionem, & gratiam conferri pronuntiauit, Euangeliſtarum & Petri authoritate nixa, qui nos tingi iubet in remiſsionem peccatorum, vt ſpiritus ſancti gratia donemur: Caluiniani ſolum peccatorũ remiſſionis ac gratiæ collatæ ſignum baptiſmo exhiberi, nec peccatũ originis infantibus verè remitti, ſed id duntaxat nõ imputari docent. Quũ & in baptiſmi ſcopo & natura, & in ſcripturæ baptiſmi naturam explicantis interpretatione cum eccleſia pugnent, *Magicuſque*
pag. 32. *trium, aut quatuor verborum afflatus, & pronuntiatio, vt illi ſcribunt, nihil præter mortuam, & ludicram actionem relinquat*, de huiuſmodi baptiſmo vel dubitare, vel vniuerſæ eccleſiæ decretum merito poſtulare debemus. Neque obeſt quod baptiſmum in hæreticorum eccleſiis adminiſtratũ ec-

cleſia probauit: probauit enim ſi quando hęretici baptiſmo nihil detrahebãt: At vbi detraxerunt, aut eius naturam inuerterũt, quemadmodum de Paulianiſtis, & Cataphrigibus traditur, tum prorſus huiuſmodi baptiſmum repudiauit, vti & Caluinianorum baptiſmum ſuo iure repudiare poſſe etiamnum videtur.

Sexta Calumnia.

BElcarium falſi teſtimonij reum, locos ex Luthero & Caluino prolatos in alium ſenſum detorſiſſe inſimulant; & *Pag. 33.* quod de paucis dictum fuerat, ad totum eccleſiæ corpus trãſtuliſſe. Hic pium lectorem rogat Belcarius, vt vtrumque locum apud authores ipſos quærat, & diligenter expendat, num illi apertè fateantur nouas religiones, nihil moribus in melius referendis contuliſſe, imò verò plures inde flagitiis liberius indulſiſſe, & veluti ruptis habenis in ſcelera proruiſſe, vt vnà cum mutata religione, mutatos pariter & bonos mores, totámque antiquę diſciplinæ rationẽ ſimul funditus euerſam, verè aſſeuerare poſſimus, verſetúrque ob oculos illud apoſtolicum, *Sicut non proba-*

uerunt deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum, vt faciãt ea quæ nõ cõueniũt, &c. Vos in ſacris literis haud accuratè verſatos doctiſſimi miniſtri, & præterea dialectices imperitos, veſter ille liber de ſanctificatione gallicè ſcriptus, & ferè totus ex Caluino deſcriptus, apertè docet, & bella hæc Apologia ſatis cõfirmat, vt maiore ꝓbatione opus nõ ſit. Quod autẽ Belcariũ ad diſputationẽ à vobis prouocatũ recuſaſſe dicitis, id falſo aſſeritis: neq; enĩ prouocatus vnquam fuit. Maius ille aliis in locis, & cũ viris longè doctioribus ſuæ eruditiõis periculũ fecit: Quod ſi prouocatus fuiſſet, quomodo de arbitris cõuẽtũ fuiſſet? quũ viri hic docti perpauci reperiantur, & vt reperirẽtur, accepti vtrique parti eſſe nõ poſſent. Quid autẽ ꝓfuiſſet ſine legitimis vel arbitris, vel iudicibꝰ inita diſputatio? Aut quid potius mali nõ deſignaſſet? Quod cum ex multis aliis cum hæreticis habitis colloquiis, tum verò ex recenti Piſſiaco conuentu, magno noſtro malo nimiũ didicimus. Sed ſi tanta trium linguarum peritia, ſi tanta totius philoſophiæ cognitione, ſi tanta ſacrarũ literarũ ſcientia polletis, nũc magnos iſtos variæ,

multipliciſq; eruditionis theſauros, corã vniuerſo Chriſtianorũ cœtu proferte, à quo nulla ad maius aliud iudiciũ ꝓuocatio eſt: Hic certamen eſto. Hic quicquid reconditũ habetis, expromite. Nam quæ hactenus protuliſtis, nihil tale ſpirant: lectorẽ nõ afficiũt: nihil magnũ pollicẽtur. Totã Apologiã mihi ſatis diligenter cõplexus videor pie lector, nec quicquam ꝑtermiſiſſe, quod reſpõſione dignũ videretur: Sales dũtaxat plærìſq; locis inſperſos nõ annotaui, ſunt autẽ admodũ feſtiui. At ſi quis vnde prodeant, noſſe cupit, conferat cũ Geneuẽſi iſta Apologia magnos illos de re ſacramẽtaria dialogos Geneuæ anno 1561. editos, ac cæteros eiuſdẽ authoris cõmentarios, & eandem feſtiuitatẽ, eadẽ nonnunquã verba, eandẽ phraſin, eandẽ quoque ferè diuerſi argumẽti tractationẽ offendet, vt ab eadẽ officina profectã. Nam qui illic τὸν ὄνον συλλογιζόμενον, & aduerſus dominicam cœnã (proh nefas) ἀποπέρδοντα, καὶ ἀντιποπέρδοντα, atque omne ſpurcitiæ genus effundentẽ introduxit, idẽ hic τρεῖς ὄνους, ἀλλ' ἀνωνύμους, & ſub Metenſium miniſtrorum nomine latẽtes τῶ καλῶ, κἀγαθῷ ἀνδρὶ ὀνειδίζοντας re-

preſentauit. Sic enim (opinor) Græca ex Eraſmi copia (vt iſti admonent) ſuo loco cōmodè interiicientur, quod ſchema, ſi vnquā alibi, tū vero in pręclaris illis dialogis ſæpiſſimè frequentatur: Frequentatur (inquā) contra rhetorū præcepta, qui idem ſchema,ne moleſta repetitione offendat, ſæpius iterari vetant. Et hæc quidem Metenſes miniſtri aduerſus Apologiā veſtrā, ſiquidem veſtra eſt, hactenus dicta ſint:Si quid in poſterum proferetis, haud mutū me(ni fallor)experiemini: Nā pro Belcario ſpondere poſſum,illū ad leuia hæc,& velitaria certamina haud quaquam progreſſurum, nec è caſtris egreſſurum,niſi maiore cum hoſte confligendum ſit. Neque vero quod nomen non inſcripſi,vobis tacendum,aut de meo nomine magnopere laborandum exiſtimatote,veritatis aſſertorē ſcitote (quod citra arrogantiā dictum ſit) qui perfrictā iſtam veſtram frontē(qua nimium exultatis)ita veritatis cote perfricabit,vt ſi vos non pudeat, at certè corā omnibus ęquis lectoribus, extremæ impudentiæ conuictos,ludibrio exponat, ac deridendos propinet.

FINIS.